This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

2953

A 464355 DUPL

53

DE JOUR EN JOUR

EN APPRENANT MOURANT

De la Bibliothèque
de M.
Anatole de Montaiglon

TS
1092
.M49

GERARDI MEERMAN

ET DOCTORUM VIRORUM
AD EUM EPISTOLAE
ATQUE OBSERVATIONES

89763

DE

CHARTAE VULGARIS SEU
LINEAE ORIGINE.

EDIDIT

AC PRAEFATIONE INSTRUXIT

JACOBUS VAN VAASSEN.

HAGAE-COMITUM,
Apud NICOLAUM VAN DAALEN,
MDCCLXVII.

VIRO ILLUSTRISSIMO

ATQUE CELEBERRIMO

HENRICO CHRISTIANO

L. B. A SENCKENBERG,

SACRATISSIMI IMPERATORIS

ROMANO-GERMANICI

CONSILIARIO AULICO,

AMICO SUO SINGULARI,

CUJUS FAMAM,

ERUDITIONEM OMNIGENAM,

CAETERAQUE MERITA

SECUM UNIVERSUS ORBIS

LITERATUS SUSPICIT,

HOCCE SYNTAGMA OBSERVATIONUM DE CHARTA LINEA, VARIIS AB IPSO V. ILL. ADMINICULIS DITATUM, IN PERPETUAM OBSERVANTIAE TESSERAM

L. M. Q. C.

GERARDUS MEERMAN.

LECTORI BENEVOLO

S. D.

JACOBUS VAN VAASSEN.

VARIAE ſunt retardatae huius opuſculi editionis cauſſae, praecipua tamen, quod nova ſubinde ex diſſitis longe regionibus exſpectanda nobis eſſent ſubſidia, ut, quoad fieri poſſet, accuratiſſima aliquando *chartae lineae* aetas & origo definiretur: illud autem licet hac disquiſitione fieri nondum potuerit, quin imo dubia etiam nunc ſuperſint quam plurima, habet nihilo minus ill. MEERMANNUS, quod ſibi & reip. literariae gratuletur, quum amica hac disquiſitione effecerit, ut diſcrimen non tantum inter lineum & bombycinum chartae genus melius iam, quam antehac, cognoſcatur, ſed & variorum codicum ac diplomatum notitia in clariorem lucem expoſita ſit.

A ſingulis vero quid in hac materie illuſtranda fuerit praeſtitum, referre nihil attinet, cum ipſe nobiliſſ. Meermannus in *literis ad* Gen. MAIANSIUM *pag.* 81. & *ad* celeb. MICHAELIS *pag.* 132. ea de re diſſeruerit uberius; cui in omnibus fere conſpirat Regiae Societatis Gottingenſis iudicium, teſte eruditiſſima cl. MURRAYI *Commentatione literaria.*

Deſcripto iam maximam partem hoc libello & Societati Regiae transmiſſo, perlatae tandem ſuper hoc eodem argumento ad ill. Meermannum fuerunt *literae* Generoſiſſ. Baronis SENCKENBERGII & cl. WARGENTINI, quibus cum in ipſo opuſculo commode locus dari haud potuerit, verbo de iis hic loci agendum. Baro Senckenbergius in *literis*, *dat. Viennae Kal. Jun.* 1763. transmiſit fragmen veteris chartae ex codice chartaceo *Speculi Suevici*, qui codex, teſtibus ipſo viro Generoſiſſimo & ill. ROSENTHALIO, Conſiliario Imperatoris Aulico, ſeculo ad finem vergente XIII. vel initio ſequentis exaratus videtur; de quo ut & ill. Meermanno conſtaret certius, in ipſo hoc fragmine codicis eius literarum ductus accurate depingendos curaverat: apparuit autem haec

char-

charta vel plane ex lineo eſſe genere, vel certe ex lino goſſypioque mixta ſpecies, qualis & alia, ab eodem Senckenbergio ante transmiſſa, anni 1308. vid. *pag.* 34. *h. opuſc.* Aetatem codicis *Speculi Suevici* recte cenſuerunt viri Generoſiſſimi ad finem ſec. XIII. vel ſequentis initium referendam; quum tamen illa ex literarum ductu intra XX. vel XXX. annorum ſpatium certo definiri nequeat, eam chartam parum quaeſtioni noſtrae lucis afferre, palam eſt.

A cl. Wargentino in *literis dat. Holmiae D.* X. *Jun.* 1763. illud tantum reſponſi tulit nobiliſſ. Meermannus, *Admonitionem de charta linea*, Suecico idiomate translatam, plurimis inſertam fuiſſe diariis; vix quidquam tamen ſubſidii inde exſpectandum, quod nulli fere eo in regno codices reperiantur chartacei, trium ſeculorum aetatem excedentes.

Hoc tantum unum reſtat, ut viris Eruditiſſimis, qui *Admonitione* ill. Meermanni excitati huic argumento illuſtrando ſymbolam contulerunt, verbis viri illuſtris meritas gratias perſolvam, quas ſingulis, pro ſua cuique humanitate, maximas profitetur atque immortales.

Liceat hac occaſione nonnulla adnecte-re de ea chartae ſpecie, quae *Bombycina* vulgo audit: quando etenim in hac dis-quiſitione cum nobiliſſ. Meermanno, quo amico & ſtudiorum patrono ac fauto-re uti mihi licere, in praecipua felicitatis parte repoſitum habeo, interdum etiam de hoc chartae genere ſermones caederem, eam in rem nata mihi fuit una atque altera obſervatio, haud inutilis forte illi futura, qui hoc aliquando argumentum latius ſibi pertractandum ſumere velit.

A materie, unde confecta haec charta, *Bombycina* plerumque, interdum *Bambyci-na* & *Bambacina* dicta eſt, ἀπὸ τοῦ Βόμβυκος: vid. ill. MONTFAUCON in *Palaeogr. Graec. Lib.* I. *pag.* 17. In *Confirmatione* quadam Imperatoris Henrici II. memoran-tur *quinque ſerici bambatii*, quas recte *char-tas bombycinas* intelligit eruditiſſ. KOLLAR vid. eius *Notitiam*, mox inſerendam. Sed & multis aliis appellationibus obvia eſt: in *Conſtitutionibus Siculis* Frederici II. Imp. *Lib.* I. *Tit.* 78. vocatur *charta papyri*, eandemque BARTOLUS, vetus iuris in-terpres, *chartam de papyro* dixit: in *Legi-bus* autem Alphonſi Sapientis *Part.* 3. *Tit.* 18. *L.* 5. *pergameni pannei* nomine venit, vid.

vid. *Admonit.* Meermanni *pag.* 5. *ſeq.* Nimirum *pergameni* vocabulum eo tempore latiori ſignificatu ad chartam etiam *bombycinam*, tum in primis uſitatiſſimam, extendebatur, atque eo, ni. fallor, ſenſu adhibuit interpres Teutonicus fabulae veteris de *Vulpecula* (*Reinekes*,) qui ſcripſit ſec. xv. & de pannorum fabrica, Gandavi tum florente, ſic loquitur.

Ja ware al dat laken pergament
Dat daer gemaket wordt te Gent.

Locum etiam Petri Abbatis Cluniacenſis, ubi *libros ex raſuris veterum pannorum compactos* memorat, de charta tantum *bombycina* capiendum eſſe, recte obſervavit ill. Meermannus in *Admonit. pag.* 9. diſſentiente licet ſummo Maianſio. Denique & ipſa haec charta bombycina, ut ut alii diſtinguant, eadem plane eſt, quae *cottonea* & *goſſypina* vocatur, vid. cl. Murray *Epiſt. ad Meermann. pag.* 175.

Quod originem introductae huius generis chartae attinet, ea nondum ſatis explorata fuit hactenus: quae enim de codice *Euangelii D. Marci*, ſcripto poſt C. N. ſec. iv. qui Venetiis adſervatur, ſupponit cl. Murray *pag.* 197. *in not. bomby-*

cini eſſe generis, minus videntur certa; cum ipſe αὐτόπτης ill. Montfaucon, harum rerum, ſi quis alius, probe gnarus, chartam *Aegyptiacam* eſſe, diſerte pronuntiet in *Diario Italic. p.* 55. Longe tamen ante ſec. x. artem conficiendae chartae bombycinae fuiſſe cognitam, ex iis apparet, quae nuper doctiſſimus protulit CASIRI in *Tomo primo Bibliothecae Arabico-Hispanae Eſcurialenſis* edit. Madriti an. 1760. quaeque, ob eximii huius operis extra Hispaniae oras raritatem, lectori noſtro invidere non licet: memorat ergo *Num.* DCCVI. *pag.* 208. codicem, ſcriptum *Feria quarta, die* XV. *Gemadi poſterioris, anno Egirae* 887. ſive poſt C. N. 1482. qui codex continet *Florilegium* ſive *opus de politico regimine*, ex variis aliorum ſcriptorum libris conſarcinatum, auctore *Ezzedino Abdelaziz Ebn Abilcaſſem Babasri*, ex quo inter alia haec citat Caſiri. *In urbe Samarcanda praecellit chartae nitidiſſimae uſus, quae tantum ibi & in Sinis reperitur, unde Arabes Mahometani, ea in ſuam ditionem redacta, conficiendae chartae artificium acceperunt*: addit dein nonnulla literatiſſimus ille Hiſpanus ex *Caſuinaeo*, *Abulpheda*, aliisque Arabum ſcriptoribus, eorumque fide nar-

narrat, Samarcandam cunctas inter Aſiae urbes magnitudine atque amoeniſſimo proſpectu fuiſſe celebratiſſimam, ſed non minus quoque illuſtrem perniitidae chartae fabrica, quam Arabes deinde tum in ſuam regionem, tum in Africam transtulerunt, poſtquam *Catibah Ben Moslema*, anno *Egirae* 85. id eſt Chriſti 704. Samarcandam expugnaſſet. Quum igitur tam antiquus apud Arabes ſit chartae bombycinae uſus, factum eſt, ut hi inventores eius habiti fuerint, quam re vera Samarcanda repetierant. Certe, quod Arabes conſtanter hoc & inſequentibus ſeculis adhibuere chartae genus, non aliud eſt, quam *bombycinum*, prouti ex variis, quos in ſua bibliotheca adſervat, codicibus Arabicis mihi confirmavit nobiliſſ. Meermanſius.

Seculo deinde x, & xi. ex Arabia bombycinae chartae uſus ad Graecos aliasque Europaei orbis gentes dimanaſſe videtur, & tum codicibus, tum diplomatibus conſcribendis inſerviiſſe. Antiquiſſimi in hoc chartae genere exarati codices ſunt ſeculi x. & xi. Affirmat certe celeberr. Montefalconius in *Palaeogr.Graec.pag.* 11. in variis bibliothecis, praecipue in Regia Pariſienſi, ex-

em-

emplaria bombycina exſtare, quorum characteres decimum ſeculum praeferant: memorat quoque *loc. cit.* codicem Regium bombycini generis anni 1050. & alterum ex bibliotheca Caeſarea anni 1095. indice utriusque libri epigraphe, quam exhibet *pag.* 50. & 54.

In his quoque vicinisque regionibus uſum illius iam ſeculo undecimo invaluiſſe, probat diploma anni 1070. cuius meminit celeberr. Cannegieterus, *Epiſt. ad Meerman. pag.* 100. latius vero expoſuit cl. Murray *pag.* 190. *& ſeqq.* Huic addere liceat aliud, quod Gen. Baro Senckenbergius poſſidet, cuiuſque pleniorem *Notitiam*, transmiſſam a doctiſſ. Kollar, adiungere hic placuit:

„ Chartae bombycinae pars ex ſeculo „ IX. (*a*) penes nos ſupereſt, cui in- „ ſcripta ſunt nomina ſanctorum Marty- „ rum, quorum reliquiae faſciculo no- „ tato ſunt innexae & inligatae. Plena- „ rium noſtrum (cuius antiquitas ſuperat „ aetatem Henrici II. Imperatoris (*b*) „ quippe eius Notarius Apel Peranſa, „ An-

(*a*) *Sec.* IX. *pro* X. *dixit.*
(*b*) *Imperium hic adiit an.* 1002.

„ Anglo-Saxo an. 1007: ei inſcripſit Im-
„ peratoriam Confirmationem) exhibet
„ in calce reconditum eccleſiae theſau-
„ rum, qui moveri potuit, & in eius
„ recenſione *bambatios quinque ſericos*. In-
„ telligo per eos *chartas quinque bamba-*
„ *tias* ſeu *bombycinas*, quibus inſcriptae
„ fuerint fundatio Ludolfi (*c*), Sergii
„ confirmatio (*d*), Ottonis illuſtris (*e*)
„ breve recordationis, & Agapeti (*f*)
„ ac Johannis Paparum privilegia. Papa-
„ rum chartae iuſſu Innocentii III. (*g*)
„ deſcriptae ſunt in membranis. Sigil-
„ lum Abbatis deſcribentis ſupereſt in de-
„ ſcripto Johannis privilegio. Sergii lite-
„ ris deſcriptis cum diplomate Ludolfino
„ altero ſimile ſigillum fuit infra ſubno-
„ tatum; quod tamen vetuſtatis iniuria
„ decidit. Chinenſes utuntur in hunc
„ diem charta bombycina, cuius inſig-
„ nem partem poſſideo. (*h*)

Al-

(*c*) *Ejus forte, qui Imperator evaſit an.* 922.
(*d*) *Creatus hic Pontifex M. a.* 1009.
(*e*) *Evaſit Imperator an.* 1039.
(*f*) *Hic Pontificatum iniit* 946.
(*g*) *Papa creatus an.* 1198.
(*h*) *Complures libros in China ſeculo noſtro ac præcedente excuſos aſſervat ill. Meermannus, quo-rum*

Allegare haec eo magis libuit, quod obſervante quoque cum aliis rei Diplomaticae ſcriptoribus cl. Murrayo *pag.* 194. rariſſima ſint diplomatum in charta bombycina exaratorum exemplaria: quia enim inſtrumenta eiusmodi papyracea, ob fragilem materiem, haud diu durare poſſent, adhibita hunc in finem plerumque fuit membrana. Unde ſapienter ſancivit Fredericus II. Imp. *Conſtitutione* anni 1221. ut publica inſtrumenta non niſi in pergamenis conſcriberentur, ne ex vetuſtate deſtructionis periculo ſuccumberent. (vid. *Admonit.* ill. Meermanni *pag.* 4.) eandemque ob cauſſam diplomata, in charta ante exarata, in membranam deinde fuere tranſſcripta, ceu patet tum ex memorata *Notitia* cl. Kollar, tum ex iis, quae de laudato inſtrumento notavit Jo. Chris-to. Harenbergius in *Hiſt. Eccleſ. Gandersheimenſis Cathedral. ac Collegiatae Diplomatica pag.* 595. edit. Hanov. 1734. quum ſcribit.

Pri-

rum vero charta ſerica tenuiſſima eſt, nec ſcripturae recipiendae, quia perflueret, apta. Veterum autem Codicum Mſſ. charta bombycina & craſſa eſt, & perquam firma.

Privilegium ipſum ex charta fuit, mandante Pontifice Romano in membranam translatum & anno circiter 1205. *Romam miſſum, porro reportatum & in tabulario Gandersheimenſi reconditum. Maximam eius partem repetiit Innocentius III. in ſcripto anni* 1205. *quod infra exhibebimus. Ni Innocentius ille Agapeti & Johannis ſcripta memoriae prodidiſſet denuoque deſcribenda curaſſet, ea dudum intercidiſſent, quippe* papyro inſcripta *& a tineis tentata, uti conſtat ex Innocentii ejusdem bulla ad an.* 1206. *Hinc patet, vera docuiſſe celeberrimum Bernhardum Monteſalconium, dum chartam in monumentis publicis adhibitam eſſe tradit, antequam membranae Pergamenae locus datus ſit. Alterum Ludolfi diploma itidem chartae inſcriptum fuit ac mandatum. Juvat audire Ephemerides Literarias Pariſienſes (Journal des Savans* 1730. *Jun. pag.* 203.) *quae recenſent Monteſalconii mentem ex Diſſertatione eius de planta Papyro, papyro Aegyptia, charta Xylina & pannoſa, hunc in modum.* (*i*) Se-

(*i*) *Vid. loc. dans Memoires de Litterature tirez des Regiſtres de l'Academie Royale des Inſcriptions & belles lettres, depuis l'année* 1718. *juſques & compris l'année* 1729. *Tom.* VI. *num.* XIX. *Journal des Savans l. c. p.* 199.

Seculo autem XIII. ac ſequentibus uſus illius chartae magis magisque increbuit, uti docent complurium bibliothecarum publicarum indices: ſeculo adhuc XIV. in noſtris quoque regionibus chartam *bombycinam* in uſu fuiſſe, probat vetuſtus codex., initio illius ſeculi ſcriptus, quem inter Archiva Camerae Feudalis Hollandiae Hagae-Comitum offendit ill. Meermannus.

Denique & hoc verbo monendum eſt, uti in variis chartae lineae ſpeciminibus obſervavit ill. Meermannus, *bombycinae* etiam ſec. XIV. & ſeq. ex alia ſaepe materie quid admixtum eſſe: varios certe in inſtructiſſima nobiliſſ. Meermanni bibliotheca videre licuit codices Graecos, Venetiis circa an. 1540. exaratos, in genere chartae perquam nitido, ſolido ac laevigato, quae, a linea noſtri temporis longe diverſa, non eadem tamen, quae *bombycina*, videtur. Experimenta quoque noſtri temporis docent, multiplicem materiam, praeter linum & goſſypium, chartae conficiendae eſſe habilem, quod ut ill. Meermanno probaret vir excellentiſſimus FERDINANDUS BONAVENTURA Comes ab HARRACH, Camerarius Supremus & Praeſes conſilii Aulici Sacratiſſimi Imperatoris Roma-

mano Germanici, varia ipſi transmiſit chartae ſpecimina ex alia, quam lino, materie confecta: ac brevi poſt Ratisbona recepit nob. Meermannus JACOBI CHRISTIANI SCHÆFFERI deſcriptionem, & plura omnis generis chartae ſpecimina varia, ex cortice, foliis arborum, quin & ligno aliisque materiis confecta; cuius libri tres tomi priores praecedente anno editi quartum proxime habebunt comitem.

Agmen huius Praefationis claudat ſingularis obſervatio ad *chartam Pomeranicam*, cornuti bovis capite inſignitam, quam in *Append. Cogitationum* memoravit cl. HERINGIUS *pag. huius Opuſc.* 124. In mentem ſcilicet venerat GABR. NAUDAEO, primos libros excuſos, in quibus hoc ſignum offenditur, omnes e Jo. Fauſti Schoefferique officina typographica Moguntinenſi prodiiſſe, idque *Epigram. lib.* II. *pag.* 52. principum editionum amatoribus hisce verſiculis commendare voluit:

His duo, ſi neſcis, teneris impreſſa papyris
Artificum ſigno, vitulinae cornua frontis,
Grandia chalcographi referunt miracula Fauſti,
Qui primus calamis libros tranſcripſit abenis,
Atque ſuum terris mirum decus intulit arte.

Quantopere autem illud a vero abſit, partim inde conſtat, quod hi ipſi impreſſores chartas etiam, quibus alia ſigna indita, adhibuerint, quales videri poſſunt in cl. SCHWARTZII *Docum. prim. de Orig. Typogr. Part. III. in Tab. ad pag.* 41. partim, quod plurimae ſint aliorum quoque typographorum, cum primis Germanorum, editiones, bovillo capite inſignitae, cuiusmodi plures poſſidet ill. Meermannus.

Haec ſunt, Benevole Lector, quae in limine huius Syntagmatis monere te volui; ea ut boni conſulas, maiorem in modum rogo. Vale. Scribebam Rotterodami ipſis Cal. Jan. an. CIↃIↃCCLXVII. qui felix nobis, totique Reipublicae Literariae decurrat.



GE,

GERARDI MEERMAN, SYNDICI ROTERODAMENSIS,

ADMONITIO DE CHARTÆ NOSTRATIS, SEU LINEÆ, ORIGINE.

QUUM nuper in *Originibus* meis *Typographicis*, quæ ad umbilicum iam perductæ prelo mox ſubmittendæ erunt, nonnulla obſervarem de charta communi a primis typographis uſitata, nata mihi occaſio eſt, in remotiſſima illius tempora ſimul inquirendi. Digniſſimum profecto ulteriori examine videbatur hoc argumentum, in quo induſtriam ſuam, quamvis non felici ſatis ſucceſſu, collocaverant viri ſummi Allatius, Mabillonius, Monteſalconius, Maffei, aliique; quod etiam præmio, modo vera inventionis epocha detegi poſſet, dignum cenſuere tum Ill. Ludewigius, *in die Halliſchen gelehrten anzeigen a.* 1744. *Tom.* 2. *N.* 55. tum Regia Societas Gottingenſis, *in die Gott. anzeigen a.* 1755. *N.* 142. maxime, quum ex hac obſervatione pendeat non modo ætas variorum Codicum, abſque temporis indicio in eo papyri genere exaratorum, quam plus juſto aut extolli aut deprimi videmus ab his, qui chartæ noſtratis

antiquitati plus minuſve ſavent, ſed, quod magis eſt, veritas quoque falſitaſve nonnullorum diplomatum, quæ eidem inſcripta annorum 450. imo majorem vetuſtatem indicant, detegatur.

Nobis etſi non licuerit eſſe tam beatis, ut proximum tempus introductæ hujus chartæ invenerimus, varia tamen in hanc rem obſervaſſe contigit alibi haud obvia, unde epocha illa certis limitibus circumſcribetur, aliiſque progrediendi ulterius aperietur via.

Ut vero omnis error, in quem plures incidere, hic evitetur, diſtinguenda ſunt tria præcipue chartæ genera, unum *Ægyptiacum*, ex pelliculis herbæ papyri, vel etiam cortice arboris confectum, alterum *bombycinum* ſeu goſſypinum, e pilis panniſve cottoneis fabricatum, tertiumque vulgare noſtrum, quod ex veterum *linteorum* reliquiis contritis ac maceratis paratur. Alias vero ſpecies, apud Sinenſes Japonenſeſque a pluribus retro ſæculis receptas, hic memorare nihil attinet, de quibus optime nuper egit Cl. de la Lande *dans l'art de faire le papier* (inſerta eximio ſyntagmati Academiæ Scientiarum Pariſinæ de artibus mechanicis) *a* §. 150. *ad* 181.

Ægyptiacæ chartæ uſum, apud Græcos Romanoſque olim frequentiſſimum, ſua ætate

ob

ob nimiam operam impenſamque in deſuetudinem abiiſſe, teſtis eſt Homeri Scholiaſtes Euſtathius, circa a. 1160. clarus, *ad Odyſſ.* φ. quod etiam ad ſæculum XI. retrotrahit Mabillonius *de re diplom. Lib. I. c.* 8. §. 14. add Auctores *du nouveau Traité de Diplomatique, Tom. I. pag.* 497. *ſeq.* Ceſſit vero non lineæ chartæ (uti ex verbis Euſtathii mira conſequentia intulit Salmaſius *ad Fl. Vopiſcum p.* 451. *edit. Pariſ*) neque etiam membranæ (ut Salmaſium corrigens Ludewigius *dict. relat. N.* 56. voluit) utpote quæ veteri, media & infima ætate conſtanter viguit, verum chartæ bombycinæ. Hæc apud Arabes, quos illius inventores crediderim, jam a. 1049. recepta, circa idem tempus ad Græcos & paulo poſt ad vicinas Europæ nationes tranſiit, vid. Anonymi *Obſervat.* in *Tranſact. Philoſoph. a.* 1703. *N.* 288. *p.* 1515. Montfaucon in *Palæogr. Græca Lib. I. c.* 2. *p.* 18. *ſeq.* Auctores *du Traité de Diplomatique Tom. I. p.* 516. *ſeq.* Exorta poſtremo in noſtra orbis parte charta linea (cum qua nihil commune habere veterum libros linteos pridem animadverſum eſt) per aliquod tempus cum priore ſubſtitit, tandem illi omnino prævaluit; Græcis cæteriſque Orientis populis bombycinam ſem-

per amplexis. Sed de tempore natali chartæ noſtræ propius jam agendum eſt.

Miſſis itaque vanis hac in parte conjecturis, id certum arbitror, ad medium uſque ſæculum XIII. præter membranam ſolam, adhuc innotuiſſe chartam bombycinam, minime linteam. Adponam hunc in finem locum inſignem, neminique, quod ſciam obſervatum, ex Conſtitutionibus Siculis Friderici II. Imp. Rom. a. 1221. vulgatis, *Lib. I. tit.* 78 cujus hæc verba: *Volumus etiam & ſancimus, ut inſtrumenta publica & aliæ ſimiles cautiones, non niſi in pergamenis in poſterum conſcribantur. Cum enim eorum fides multis futuris temporibus duratura ſperetur, juſtum eſſe decernimus, ut ex vetuſtate forſan deſtructionis periculo non ſuccumbant. Ex inſtrumentis in chartis papyri, vel alio modo, quam ut dictum eſt, ſcriptis, niſi ſint apochæ vel antapochæ, in judiciis vel extra judicia nulla omnino probatio aſſumatur; ſcripturis tantum præteritis in ſuo robore duraturis Quæ tamen in prædictis chartis bombycinis ſunt redactæ ſcripturæ, in prædictis locis Neapoli, Amalfiæ, & Surrenti, intra biennium a die editæ ſanctionis iſtius ad communem literaturam & legibilem redigantur.* Itali igitur, certe Neapolitani, ea ætate adhibuere quidem

dem chartam, ſed hanc modo cottoneam, quum ſynonyma Imperatori ſint *chartæ papyri* & *bombycinæ*. Idem circa Hiſpaniam confirmant recentiores aliquantulum ſeptem Partitæ, ſeu leges Alphonſi Sapientis, Caſtellæ ab a. 1252. ad 1284. Regis, quarum novam elegantemque editionem a. 1759. Valentiæ dedit V. Cl. Joſephus Berni, ubi *Part. III. T.* 18. *l.* 5. ſcriptum eſt. *De cera deven ſer otras cartas ſelladas con ſello colgado. E eſtas ſon de muchas maneras, que las unas facen en pergamino de cuero, e las otras en pergamino de paño. Pero departimiento ha entre las unas, e las otras, ca las unas deven ſer fechas en pergamino de cuero, aſſi como quando el Rey da alguna merindad o alcaldia.* (& quæ porro adferuntur exempla) *E las, que deven ſer de pergamino de paño, ſon eſtas, aſſi como las que dan para ſacar coſas vedadas del Reyno, o las otras, que van de mandamientos a muchos Concejos que les embia mandar el Rey, o de recabdar algunos omes, o de coſechas de maravedis del Rey, o de guiſamiento: todas eſtas deven ſer en pergamino de paño, o otras de qual manera, quier que ſean ſemejantes dellas.* Pergameni pannei, quod coriaceo (id eſt membranæ) opponitur, appellatione chartam deſignari bene

vidit, cui hujus loci indicium debeo, Franc. de Berganza, *Tom. II Antigued. de Eſpaña*, edit. Madrit. 1721. *Lib. VII. c. 7. §.* 124. ubi chartæ introductionem in Hiſpaniam multo jam antiquiorem eſſe probat e Vocabulario quodam Latino, Monaſterii de Silos, partim membranæ, partim chartæ craſſiori inſcripto, cujus characteres Gothici ætatem referant, vel forte ſuperent Alphonſi VI. Caſtellæ Regis ab a. 1072. ad 1108. Illud vero de charta goſſypina intellectum velim, partim quia hoc evincit laudata conſtitutio Imp. Friderici, cui ſuperſtruxiſſe ſuam videtur Alphonſus Sapiens, partim quia appellatio pergameni nullo modo conveniret chartæ noſtræ, ſed utique bombycinæ, quæ plerumque craſſior & flava aliquantulum, ſemper vero fulgens eſt. Adde, qnod obſervante viro expertiſſimo Steph. de Terreros & Pando, in *Paleogr. Eſpañola* a. 1758. edita, *p.* 75. *ſeq.* Toleti ſuperſint exempla non modo Fori Gothorum, itemque primæ Partitæ, ſed & variæ hujus Regis literæ authenticæ: omnia exarata in charta, eaque, ut ille ait, fortiſſima & lævigata. (*muy fuerte y bruñido*). Fruſtra vero eſſet, qui hic cogitaret de vulgari charta, ſed cui ſplendor data opera additus, qualem in Gallia ad-

adhibere novimus amabiles mulierculas belloſque homines, & prelo quoque accommodari poſſe, in Anglia, raro exemplo, Baskervillius docuit. Ea uſum fuiſſe Alphonſum Sapientem credat, cui volupe. Nos id chartæ genus intelligimus, quod eam qualitatem ſibi propriam habet, nempe cottoneum. Neque profecto mirandum eſt, illius uſum apud Hiſpanos Italoſque tam frequentem ſuiſſe, quum eam neceſſe non haberent ex Oriente continuo repetere, ut pleriſque viſum eſt, ſed in propriis fabricarent terris. De Hiſpania certe literatiſſimus Terreros, poſtquam laudata monumenta in chartis bombycinis indicaſſet, ſubjungit, duas chartæ ſpecies indicare inſtrumenta antiqua, Toletanam, & Cebti, quod tamen, ut exponere latius aliquando velit, eum rogatum, cupio. De Italia memorabilis eſt, neminique in hoc argumento, præter Ludewigium, obſervatus locus Jcti Bartoli, qui ab a. 1313. ad 1357. vixit, in *Tractatu de inſigniis & armis*, ſub. rubr. 8. *Notarius non poteſt aſſumere ſignum alterius, & ſi aſſumit, prohiberi poteſt. Fabricator chartarum poteſt prohiberi uti ſigno alterius fabricatoris*, ubi hæc verba occurrunt. *In Marchia Anconitana eſt quoddam nobile caſtrum, cujus nomen*

Fabrianum, ubi artificium faciendi chartas de papyro principaliter viget, ibique ſunt ædificia multa ad hoc, & ex quibuſdam artificiis meliores chartæ veniunt, licet etiam in aliis faciat multum bonitas operantis, &, ut videmus hic, quodlibet folium chartæ habet ſuum ſignum, per quod ſignificatur, cujus ædificii eſt charta. Dic ergo, quod iſto caſu apud illum remanebit ſignum, apud quem remanebit ædificium ipſum, in quo fit, &c: Fateor Bartolum in genere de *chartis papyri* loqui; verum ut hoc ad bombycinas potiſſimum reſtringam, movet me partim Fridericiana conſtitutio, partim, quod frequentiores ætate Bartoli fuerint codices bombycini, rariſſimi vero lintei, certe in Italia, ut mox patebit. In tanto itaque, quem hic Gloſſator indigitat, chartariorum Fabrianenſium numero aut pleroſque aut forte omnes fuiſſe oportet goſſypinæ, lineæ paucos nulloſve confectores. Nec eſt, quod ſcrupulum alicui moveant ſigna ab illis artificibus adhibita, quaſi ea ſolis linteis chartis viderentur propria; talia enim in goſſypinis quoque conſpicua teſtes ſunt varii, quos ipſe adſervo, Græci Arabicique codices.

Ita vero jam conſtat, ad medium uſque ſæculum XIII. & paulo forte ſerius, incogni-

nitum Italis Hiſpaniſque fuiſſe chartæ lineæ uſum. Circa reliquas autem Europæ regiones, etſi directa me deficiant argumenta, idem colligere licet, quod nemini hactenus tam remotæ ætatis monumentum innotuerit; quemadmodum præter cæteros teſtis eſt Montefalconius in *Diſſ. ſur la plante*, *appellée* papyrus, *Tom. VI. des Memoir. de l'Acad. des Inſcript. & belles lettres*, nullum ſibi in Italiæ Galliæve bibliothecis, omni licet adhibita opera, viſum fuiſſe librum aut inſtrumentum in hoc genere, niſi recentius S. Ludovico, qui regnare & vivere deſiit a. 1270. Atque ex his ſua ſponte interpretationem accipiet locus notiſſimus Petri Abbatis Cluniacenſis in *Tractatu contra Judæos* (*pag.* 1069. *Biblioth. Clun.* Andr. du Cheſne) ubi libros ſuo tempore, id eſt circa a. 1120. lectos ſcripſit, qui *ex raſuris veterum pannorum compacti* eſſent; quum id de pergameneis e panno, ut Rex Alphonſus loqui amabat, id eſt bombycinis codicibus intelligendum jam liqueat. Et ſic ante me ſuſpicatus quidem fuerat, non tamen probaverat Scip. Maffei in *Hſtor. Diplom. p.* 77. *ſeq.* contra quam ſenſerant Hadr. Valeſius in *Not. ad Panegyr. Berengarii Aug.* Mabillonius, plureſque alii.

Ubi igitur & quando primum introducta

fuerit charta noſtra, difficilis eſt quæſtionis, quam, in conſtanti tot Chronographorum ſilentio, vix aliter terminatum iri credimus, niſi poſtquam de antiquiſſimo in unaquaque Europæ regione inſtrumento hujus generis conſtiterit. Tali vero perquiſitioni ut facem quodammodo præferamus, adnotabimus primum, quid in hanc rem a viris doctis jam obſervatum ſit, atque inde inferemus, quid obſervandum porro reſtet.

In Italia profeſſus eſt Scip. Maffei *d. l.* codices Mſſ. in charta linea omnes recentiores eſſe a. 1300. ſed addidit, nullum ejuſmodi diploma reperiſſe ſe antiquius literis inveſtituræ decimarum quarundam Gregorio Maffei, Rolandini fil. per Petrum della Scala Epiſcopum Veronenſem a. 1367. datis. Nec quidquam hac in parte ulterius nos docuerunt vel Lud. Ant. Muratorius, vel alii trans Alpes literati. Ob frequentem certe in Italia bombycinæ chartæ uſum, ſerius illic quam alibi lineam ſubintraſſe mirandum non eſt.

De Hiſpania certi aliquid proferre forſan liceret, ſi amici mei Greg. Majanſius & Joſ. Fineſtreſius, inſignia patriæ ſuæ ornamenta, in urbe regia, aut etiam Toleti, Cæſar auguſtæ, ſimilive in loco degerent, ubi magna veterum codicum vel inſtrumentorum eſt copia.

pia. Apud celebriores vero iſtius regni criticos, quorum ſcripta adſervo haud pauca, altum hac de re ſilentium eſt. Unus Paulus Yañes de Abiles in erudito opere *de la era y fechas de Eſpaño*, edit. Madrit. 1732. *Tom. II. p* 638. invaluiſſe illic, ſæculo XIII. vergente, chartam lineam ſtatuit, eamque primitus ob rariores mallei pulſus juſto craſſiorem fuiſſe obſervat; quod tamen dum memorata lege Alphonſi demonſtrare adnititur, unoque ſaltu ab Ægyptiaca charta ad noſtratem tranſit, hanc ſeſe cum bombycina confudiſſe ipſe comprobat. Ego, niſi meliora edoctus, hanc epocham paulo recentiorem exiſtimabo, eadem, quam de Italis adpoſui, inductus ratione.

Cottoniana apud Anglos bibliotheca, Muſei Britannici partem nunc conſtituens, pridem docto illic viro conſpiciendam dedit ſchedam, in charta noſtrate ſcriptam anno Regis Eduardi III. id eſt a. 1342. eam vero plures alias, forte & antiquiores, continere ipſe teſtatus eſt. vid *cit. Obſervat.* in *Tranſact. Philoſ.* De ſcotia miror nihil adnotaſſe Thom. Ruddimannum, in *præfatione* Diplomatarii Anderſoniani. Ex ea proinde, ut & Hibernia, quid exſpectandum ſit, dies docebit.

Ad Germanos quod attinet, ſcripſerat Bo-

husl.

huſl. Balbinus in *Miſcell. Hiſtor. Regni Bohemiæ, Decad. I. Lib.* 1. *c.* 22. *p.* 58. plurimos ſeſe illic codices ante a. 1340. in charta communi ſcriptos inſpexiſſe. Unde ſuſpicatus fuit Ludewigius, coepiſſe in Germania chartæ fabricam apud Pragenſes, idque poſtquam Bartolus legatione ad Carolum IV. Bohemiæ Regem functus eſſet, & chartarium forte quendam Fabriano illuc ſecum adduxiſſit. Nos vero jam obſervavimus, in ea Italiæ urbe confectam fuiſſe chartam goſſypinam; cui ſi lineam quoque junxerimus, vel ſic anachroniſmo laborabit V. Ill. conjectura. Bartolus quippe a Peruſinis non Pragam ſed Piſas ad Corolum Boëmum miſſus eſt, & quidem proximo poſt hujus in Italiam adventum anno, id eſt a. 1355. vid. Guid. Pancirol. *de clar. leg. interpret. Lib. II. c.* 67. junct. *Memorie della citta di Piſa di* Paol. Tronci *p.* 375. fruſtra itaque chartarium Fabrinenſem obtuliſſet Carolo ad docendam Germanos artem, quam illi tribus ante luſtris, Balbino teſte, profeſſi jam fuerant. Hujus vero Hiſtoriographi, fide digniſſimi, teſtimonium mirifice confirmant literæ feodales a. 1339. die S. Viti, Modeſti, & Creſcentii datæ, inque Archivo Quedlinburgenſi reperiundæ, quarum factum eſt indicium in *die Braunſchwei-*

gi-

giſchen anzeigen a 1745. *N.* 52. quibuſque antiquius in hoc genere documentum Gottingenſis Societas a. 1755. cognoverat nullum. Nos vero in Bibliothecæ Hulſianæ Catalogo *Tom I. p.* 331. offendimus librum apum (*het boek der byen*) Francofurti a. 1330. ſcriptum in charta, quod de goſſypina eo minus intelligendum puto, quia non memini me conſpexiſſe unquam hujus naturæ monumentum Teutonico ſermone. Si quis tamen id forte in controverſiam vocet, aut indicis hujus nævos opponat, eum ignorare nolim, vidiſſe me inter libros Iſaaci le Long, quum a. 1744. Amſtelodami diſtraherentur, Biblia per Jacobum Maerlantium Belgice reddita, inque charta vulgari exarata a. 1322. de queis præterea teſtis eſt Catalogus hujus Bibliothecæ, dictæ *ſelectiſſimæ*, inter *Codices Mſſ. in Fol. N.* 3. Imo, licet auctores Chronici Gotwicenſis, *Tom. I. p.* 13. chartæ lineæ uſum ſæculo demum XIV. invectum in Germaniam crediderint, ſuſpicor tamen, antiquiores illic ſchedas reperiſſe Val. Ferd. de Gudenus, quum in *Syllog. var. diplom. in præf. p.* 2. hanc epocham poſt a. 1280. fixerit.

In Gallia Mabillonius non offenderat antiquius in hoc genere documentum literis Joinvillæi ad Ludovicum X. dictum Hutinum, qui

qui regnavit a. 1314. duobuſque ſequentibus; vid. *Lib. I. de re dipl. c. 8. §. ult.* Neque plura nos docuerunt vel Monteſalconius in *cit. Diſſ. de papyro* (cujus verba exſcribere, quam in totam rem inquirere maluit Cl. de la Lande) vel Auctores *du nouveau Traité de Diplomatique Tom. I. p.* 521. *ſeq.* Verum nuper Cl. Bullettus, elegantiſſimi vir ingenii, Veſuntione ſibi viſam ſcripſit clauſulam quandam teſtamenti Othonis IV. Burgundiæ Comitis a. 1302. in charta noſtrate. vid. *recherches hiſtoriques ſur les cartes a jouer*, édit. Lugd. 1757. *p.* 25. Fruſtra vero hujus originem altius ipſe repetit ope teſtimonii Card. Beſſarionis in *epiſt. ad Janum Laſcarem*, ubi de exemplo operum Baſilii in papyro ante annos trecentos, id eſt circa a. 1140. ſcripto verba fecit; quum ipſe Beſſarion, Græcus natione, adfirmet ſe hunc codicem vidiſſe Byzantii, ubi profecto non lintea, ſed bombycina, charta uſu recepta erat. vid. Leo Allatius in *Animad. ad Antiq. Etruſc. Inghiramii* §. 55. Montfaucon in *Palæogr. Græc. p.* 18. Humfr. Hodius *de Græcis illuſtr. ling. Gr. inſtaur. Lib. I. c.* 5. *p.* 142.

Ex his omnibus perſpicuum eſt, quam parum in hac re pro ejusdem dignitate præſtitum ſit hactenus, quam vero multum laboran-

tandum reſtet. Certe quas jam communicavimus obſervationes, valde etiamnum ſunt mancæ, quum in Italia Galliaque Monteſalconius memoraverit quidem inſtrumenta poſt a. 1270. ſcripta, at vetuſtiſſimum indicare neglexerit, in Germania unus modo alterve rei incubuerit, & qui plus reliquis præſtare potuiſſet Gudenus, obſervata ſua ad poſteritatem haud transmiſerit, in Anglia porro Belgioque multum videatur aliorum relictum induſtriæ. Sed, quod magis dolendum, nihil hactenus nobis reſerarunt vel Hiſpania & Luſitania, vel regiones ſeptentrionales, vel aliæ oræ Germanis Italisque vicinæ. Quum igitur una natio pluribus forte poſt aliam luſtris hanc chartam recipere potuerit, intereſt, ut de unaquaque id cognoſcatur; unde tandem conſtabit, quænam cæteris præiverit ac pro inventrice habenda ſit, imo quam proxime detegetur inventionis æra, quam intra annos 1250. (vel forte 1270.) & 1302. quærendam docent præcedentia.

Viſum igitur hac ſchedula eſt, quoſcunque in Europa viros literatos, quibus ad inſigniores bibliothecas, aut archiva publica, aditus eſt, amice exhortari, ut ſinguli inquirant in antiquiſſimum cujusvis regionis ſive librum, ſive diploma, ſive qualecunque tandem docu-

men-

mentum chartæ lineæ inſcriptum, & ſi tale offenderint, ejus titulum, epocham locumque, ubi adſervatur, accurate deſignent; probe ſemper attendentes, ne in chartæ genere decipiantur, ut mihi fere accidit inſpecto libro MS. cujus chartam ſtatim jurasſem linteam, tum ob candorem, tum quod per nimium libri uſum omnem prope fulgorem amiſiſſet, niſi pro bombycina pugnaſſent codicis tam ligatura, quam idioma Græcum, idemque accuratius deinde examen confirmaſſet. Has vero obſervationes ut Roterodamum ad me mittere velint ante Kalendas Januarias, vel certe Februarias anni proximi 1763. enixe ac humillime rogantur. Eo ſiquidem tempore, modo vitam Deus viresque conceſſerit, illas omnes in ordinem redigere, moxque in Diario quodam, adjecta honorifica auctorum mentione, ne quem inſumti pœniteat laboris, publicare conſtitui: illi prætерea, qui omnium primum in hoc genere inſtrumentum detexerit, poſtquam per alterius examen res confirmata erit, ſimile, atque Gottingenſis conſtituit Academia, adjudicaturus præmium, nempe viginti & quinque aureorum, (*ducatos* vocant) qui victori aut nummis, aut libris apud bibliopolas venalibus, ad ejus arbitrium, ſolventur. Dab. ex muſeo V. Kalend. Januar. a. 1762.

JOH.

JOH. CHR. GOTTSCHED

OBSERVATIO

Admonitioni Meermannianæ ſubiecta atque inſerta Diario Germanico, cui titulus *Das Neueſte aus der anmuthigen Gelehrſamkeit.* Lipſiæ menſe Martio CIƆIƆCCLXII. Num. III. pag. 196-199.

Ut aliquam Bibliothecæ noſtræ Paullinæ mentionem faciamus, hæc in anteceſſum videntur præmonenda. Conſtat, huius Academiæ Bibliothecam magna veterum Mſtorum chartaceorum copia eſſe inſtructam. Anno circiter CIƆIƆXL. brevi poſtquam in Germania accidit religionis Chriſtianæ reformatio, ex Bibliothecis omnium, quotquot per hanc regionem ſparſa fuere, Monaſteriorum plurimum ditata eſt. Catalogus huius Bibliothecæ, quem olim Fellerus contexuit & in lucem edidit, minime eſt perfectus & magno librorum omiſſorum poteſt ſuppleri Adpendice. Fellerus eundem errorem admiſit, in quem Cyprianus eum ſequutus in-

cidit *in Catalogo Mſtorum Bibliothecæ Gothanæ*. Uterque primum duntaxat librum ex quocumque Mſtorum volumine nobis indicat, cæteris omnibus, qui eadem ligatura compacti ſequuntur, ſilentio prætermiſſis. Si itaque diligens Bibliothecarius ſingulorum Mſtorum annos, qui in fine plerumque ſemper adſcripti ſunt, adcurate examinare velit, in tanta profecto librorum ſcriptorum copia, etiam quantum ad chartam pertinet, pulcherrima obſervare poterit.

Interea, illud hic atque alibi fieri poſſe, in præſentia ex unico tantum vetuſto opere, quod aliud agentibus nobis forte fortuna in manus venit, declarabimus. *Hugo Trimbergius* ſive, uti aliis adpellatur, *Trienbergius* (von Trimberg ſive Trienberg) poëta fuit ſeculi XIII & XIIII. mortuus dicitur anno CIↃCCCIII. uti ſubſcriptio libri, qui olim fuit Bibliothecæ Heilsbornenſis, teſtatur. Hic autem Hugo Trienbergius poëma ſcripſit, quod *Rhytmicum* (den Renner) vocavit, cuius editionem habemus Francofurti ad Mœnum inpreſſam apud Cyprianum Jacobum ten Bock in fol. an. CIↃIↃXLVIIII. Lipſienſis quoque Bibliotheca urbana pulcherrimum eius exemplar Mſtum poſſidet, quod picturis eſt exornatum, cuius tamen ætatem ad-

adcurate indicare nequeo; at vero in Bibliotheca Paullina codex huius libri Mſtus adſervatur multo vetuſtior.

Codex ille in charta Linea, & quidem adeo craſſa, rudi atque inæquali exaratus eſt, ut facili perſpici poſſit negotio, artem linteorum eiusmodi filorum conterendorum ac chartæ inde conficiendæ tunc temporis adhuc in ipſis cunabulis fuiſſe. Exemplar illud libri Rhytmici in longitudine fere eſt formæ, quam vocant in folio, cum in latitudine dimidiam tantum eius formæ partem expletat, ſicuti folium in longitudine complicatum. Brevia Epigrammata eius temporis probe erant accommodata anguſtis iſtiusmodi paginis. Scriptura vero æque nitida eſt, ac ſeculo XII & XIII. apud nos eſſe conſuevit, neque adeo inelegans, uti ſeculo vergente XIIII. & ineunte XV. facta eſt: qui modo aliquot libros Germanico idiomate conſcriptos horum ſeculorum manibus ſuis verſaverit, optime ea de re poterit iudicare. Sed cuius utilitatis eſt hic loci multorum Diplomatum, veterum ſcriptorum & codicum manu exaratorum cognitio? In fine ſcriptor ſuum ipſius nomen, more eo tempore recepto, indicavit, imo & patriam ſuam atque annum, quo hunc laborem perfecit,

adcurate edocuit (vid. Obſerv. Epiſtolæ Cl. Belii ſubiectam.)

Eſt itaque liber hic Mſtus Chartaceus absque ulla contradictione in charta linea, quæ perquam vetuſta eſt, & vel ruditate ſua oſtendit, in prima huius artis iuventa in lineaque charta, ante annum CIƆCCCXII. confecta, hunc codicem fuiſſe exaratum. Illud tamen hac diſputatione contendere nolo, librum hunc chartaceum in noſtra Bibliotheca eſſe omnium antiquiſſimum; ſed nunc quidem hiberno tempore plura eam in rem examinare non licet. Sufficit mihi, ad propoſitam quæſtionem me quoque aliquid contuliſſe. Volo tamen ad probandam eius libri vetuſtatem ex principio eius adhuc paucula adferre. Omnium prima rubris literis ſcripta hæc leguntur:

Hy hebet ſych der renner an. *hic incipit Liber Rhytmicus*. Deinde ſequuntur tredecim verſus Leonini, id eſt artificioſe concinnati, (a) quorum ultimus a prioribus diverſus aliter ſonat; poſtremo ſequitur huius præfationis interpretatio Germanica, ſimili fere verſuum genere.

VI.

(a) Quos Vid. una cum Germanica interpretatione in Obſerv. Cl. Belii.

VIRO CELEBERRIMO ATQUE DOCTISSIMO CAROLO ANDREÆ BELIO S. P. D. GERARDUS MEERMAN.

ITerum Tibi, V. Celeb. moleſtus ſum. Admonitionem etenim mitto *de chartæ lineæ origine*, quæ ut actis Eruditorum Lipſienſium integra inſeratur, eſt quod rogem, tum ne pereat, tum ut eo magis per orbem literarium ſpargi poſſit; idque quo citius fieri poterit, eo mihi erit gratius. Forte etiam non inutile eſſet, ut in Germanicum idioma translata hæc obſervatiuncula in Diario quodam apud Vos locum occupare poſſet; cui rei ſi forte calculum adjeceris, duplici nomine obſtrictus Tibi forem, ſi hoc negotium alicui commiſeris. Vale, V. Celeb. meque ſemper habe Tibi Tuisque commendatiſſimum. Dab. Hagæ Comitum d. 6. Januarii 1762.

PERILLUSTRI ATQUE CELEBERRIMO VIRO
GERARDO MEERMANNO
S. P. D.
CAROLUS ANDREAS BEL.

Litteræ Tuæ, Haga Comitum ad me datæ, redditæ mihi ſunt eo tempore, quo lecto defixum me rheumatiſmus tenebat; neque enim paſſus fuisſem alioquin, humaniſſimam atque plenam benevolentiæ Epiſtolam carere reſponſoria. Admonitionem Tuam, de chartæ lineæ origine, lubenter legi, illico Novis Eruditorum Actis inſerendam, ſed & Diariis duobus; Lipſienſi primum, (das Neueſte aus der anmuthigen Gelehrſamkeit,) dein & Berolinenſi, (Briefe über die Neueſte Litteratur.) Excitaſti autem & me, Vir Illuſtris, ad perveſtigandos Codices noſtros, qui in Academiæ Bibliotheca adſervantur; an forte eſſe mihi liceret tam felici, ut repperirem eo Codice antiquiorem aliquem chartæ lineæ inſcriptum, quam ille eſt, cuius Tu in Admonitione Tua meminiſti. Nondum potui M M. Codices noſtros Mſcptos omnes perqui-

quirere; tamen iam venit in manus meas Codex Germanicus, inſcriptus *anno* 1312. chartæ lineæ. quod ſi Tu, Vir Perilluſtris, meis oculis, meoque qualicunque iudicio non credis, do Tibi fidem, curaturum me, ut idem iſte codex Academiæ noſtræ, (modo Bibliopola aliquis Veſtratum, futuris Nundinis Paſchalibus, pignore conſtituto, ſecum avehat Tibi tuto reddendum,) Tibi veniat etiam in manus. Adſcripſi averſa plagula ſuper iſto Codice obſervatiunculam, quam Tu æqui bonique conſules. Sunt tamen, niſi me omnia fallunt, inter hos Codices noſtros hoc antiquiores, quos ego ut reperiam, deque ſcripturæ ætate, ſolerti diſquiſitione inſtituta, certior fiam, omnibus modis allaborabo. Felicem me putabo, ſi vel hac tenui opella mea intellexeris, nihil me magis in votis habere, quam ut intelligas, quanti Te Tuaque de litteraria republ. merita æſtimem, & quam vehementer cupiam aliquo apud te loco eſſe. Vale, Vir illuſtris, & me ama. Scrib. d. X. Febr. 1762.

OBSERVATIO.

Eſt in Bibliotheca *publica* Academiæ Lipſienſis, meæ fidei commiſſa, folio maximo, ſed anguſtiore, deſcriptus anno MCCCXII. in charta craſſiore, non bombycina, ſed noſtrate, liber rhythmicus Germanicus, *der Renner*, qui Satyras in Monachos, & præcepta virtutum, continua vitiorum inſectatione, continet. Initium Libri tale eſt, rhythmis Latinis, ſine ulla interpunctione.

Jam Juventus per eventus mea curo
 Studia
Nunc benigne nunc condigne in te
 ducens gaudia
Amo flores & amores ac eſtatis tem-
 pora
Colo tantum dampno planctum & an-
 noſa corpora
Placet riſus atque viſus forme pul-
 chritudine
Tedet vultus dum incultus conſtat
 egritudine
Galatheas & coreas frequentare ſoleo
Que ſi ſtrident dum me vident toto
 corde doleo
Veſtimentum & argentum enitor ac-
 quirere

Sit

Sit ſors mortis minus fortis cuncta
cogor linquere
Neſcit etas quales metas curſus vite
prebeat
Donet (Deus) factor meus ut laus
finem prebeat
Ducta per euentus tum ſit male ſtruc-
ta iuuentus.

Ich byns die Jugunt
Dy dy thugunt
Unde die untugunt gryffit an.
Myn gemute
Stet in blute
Dy wyle ich nit ſorghen kan.
Lachen ſynghen
Tanczen ſpryngen
Lern ich frowen und man.
Her iſt wyſe
Der nach pryſe
Sych by myr behalen kan. &c.

Scriptor libri ita finit: imitatus ſum eius characteres, & lineas:

Anno. dni. mileſimo. ccc. xii.
Sabbato. an̄. dn̄icam. Invocavit.
Completus. eſt. liber. Per maꝯ. t.
Wylhelmi. tornow.
Orate dominum pro ſcriptore.

VIRO AMPLISSIMO GERARDO MEERMANNO, REIP. ROTERODAMENSIS SYNDICO

S. & O.

D. GERDES.

Opportunam hanc, quæ mihi ſe offerebat occaſionem Te ſalutandi, meaque Tibi officia deferendi ac has Philyras transmittendi, negligere non poteram. Vides ex Philyris illis lento gradu apud nos prela moveri, ut parum promoveant.

Tuam de chartæ noſtratis ſive lineæ admonitionem limatiſſimam avidè perlegi, nec quicquam tamen quod ad lucem rei obſcuræ inferendam facere poſſit penuria mea habet, cum quæ Allatius in detectione fraudis Inſhiramicæ, Mabillonius in ſuis de re diplomatica commentariis, Montfauconius in Palæographia Græca ac Maffejus in Hiſtoria diplomatica aut Godefridus Gottvicenſis annotarunt tibi non ſint incognita: Interea tamen obſervavi, Te non conſuluiſſe Francis-

ciſcum Mariam Nigricolium, Medicum Ferrarienſem, cujus diſſertatio de charta *ejusque* uſu apud veteres inſerta legitur Muſeo Minervæ Venetæ Tomo III. p. 249. ſq. Deinde vero etiam, hærere quis poſſet, circa tempus chartæ lineæ inventæ, in contradiſtinctione ad chartam goſſypinam è pilis pannisve cottoneis fabricatam, quod circa finem Seculi XIII. determinare videris; Quandoquidem Lintei uſus ex cannabi recentior ſit, nec ante Seculi XV. initium innotuerit. Sic enim Caroli VII. Galliæ Regis Conjux induſiis ex linteo duobus primum dicitur uſa fuiſſe, notante Gabriele Naudæo in addit. ad Hiſtor. Ludov. XI. p. 81. 82.

Phœnicem Anglicum ante aliquot menſes in meam migraſſe bibliothecam Anglorum amicorum ope gratus recordor. Sed vellem quæ inibi leguntur Monumenta, non in Anglicum idioma fuiſſe tranſlata, ſed nativum ſuum retinuiſſe ſermonem, cum nunc fere ubivis genuinus Scriptoris ſenſus, ac Translatoris fides in dubium vocari queant.

In Italia Reformata deſcribenda ac illuſtranda ita quotidie horis ſubſecivis verſor, ut brevi me ſpecimen quoddam editurum augurer.

Vale, Vir Illuſtris, ſalveque perofficioſé dab. Groningæ d. 3 Martii 1762.

VI-

VIRO

ILLUSTRI, AMPLISSIMO, LONGE CELEBERRIMO

GERARDO MEERMANNO

S. P. D.

P. D. LONGOLIUS.

ADmonitione TVA, VIR ERUDITISSIME, nuper admonitus TIBI gratum fore duxi, ſi, quæ in penu meo erant, ad Origines TVAS Typographicas, quas moliris, conferrem. Aequi bonique cenſeas TVIS, quæ colimus maximo opere, inſeruiendi animum. Si ſtant promiſſis, qui hoc noſtro libello excitati fuerunt, naſcetur breui inde opuſculum maioris molis, quod prius, quam in publicum prodire iubebo, TVVM de hoc exſpecto iudicium. Ego autem is ſum, qui olim apud Waesbergios Plinii Epiſtolas prodire iuſſi, quibus immortuus erat Cortius, vt ne mentionem faciam Diogenis Laërtii & Gellii. Reliqua enim, quæ ad illuſtrandas res Brandenburgicas multis

tis voluminibus contuli ego ex plerisque, quæ in proximo ſunt, principum ſcriniis, Te parum iuvabunt. Adieci eius rei-teſtes aliquot nouiſſimos, quos pro humanitate Tua, qua vbique nobiliſſimus es, in meliorem partem interpretere, meque amare incipe. Dabam Curiæ Regnitianæ ſiue Hoſii Vogtlandorum, vt vulgo audit, ipſis Nonis Aprilibus CIↃIↃCCLXII.

CHAP-

CHARTAM

INDVBITATE. LINTEAM

HAC. TENVS. NOTIS. ANTIQVIOREM

A. D. VI. IDVS. MARTIAS
A. R. S. CIƆIƆCCLXII

IN CVRIANO

IN. MEDIVM. PONIT

RECTOR

PAVLLVS. DANIEL
LONGOLIVS

CAESAREAE. FRANCISCEAE. LIBERALIVM
ARTIVM. ACADEMIAE. CONSILIAR. FAC
PHIL. LIPS. ADSESS. ET. SOC. IENENS
LATIN. SOC. HONORARIVS

IN Hermunduris meis perrecturo intercedit curſor publicus ex Belgio Illuſtris GERARDI MEERMANNI, Syndici Roterodamenſis longe Celeberrimi, *Admonitionem de chartae noſtratis, ſeu lineae, origine*

gine data a. d. V. Calendas Ianuarias huius, quem agimus, anni CIↃIↃCCLXII. ſecum ferens. Ea vero et ego admonebar tot praemiis et admonitionibus propoſitis ad indicium chartae lineae.

INDEX DICTORVM.

§. I. Charta lintea. §. II. An ab initio in molendinis confecta? §. III. Olim rarior.
§. IIII. Corruptioni expoſita. §. V. Caduca.
§. VI. Difficulter ſigillo munienda.
§. VII. Hinc eius parcior vſus. §. VIII. Nec perennis. §. VIIII. Codicum chartaceorum ætas dubia. §. X. Certior diplomatum chartaceorum. §. XI. Quodnam antiquisſimum MEERMANNI?
§. XII. Quodnam HANSSELMANNI?
§. XIII. Quodnam PESTELII?
§. XIIII. Quibus antiquius ONOLDSBACENSE. §. XV. Qui? §. XVI. Ineuntis ſeculi decimi quarti. §. XVII. Sigillo impreſſo.
§. XVIII. Cuius? §. XVIIII. Quando datum? §. XX. De quo? §. XXI. Per quem?

§. I.

Tabula haec non ſufficit cuncta chartae, qua patet, genera enumerare, nec refert. Re-

OBSERVATION

CHARTA

[illegible] LINT

SAC. TEXTVS NOTIS ANTI[illegible]

A. D. [illegible] IDVS MAR
A. R. S. CIϽIϽCCLXI

IN CVRIAN

IN MEDIVM PO

RECTOR

PAVLLVS DAN
LONGOLIV

[illegible] FRANCISCEAE. [illegible]
[illegible] ACADEMIAE. CONSIL
[illegible] ADSESS. ET. SOC.
[illegible] SOC. HONORAR

IN Hermunduris meis perrect
dit curiar publicus ex Be
GERARDI MEERMAN
Roterodamenſis longe Celeberr
[illegible] de chartae noſtratis, ſe[illegible]

[illegible]

RO

[illegible]

Refert autem cum maxime eam noſſe, quae ex linteis filis in fruſta ſectis et in mortario aliquo per piſtillum contritis atque in aqua maceratis in modum pultis forma idonea hauritur et ad aërem exſiccatur.

§. II.

Vt omnium artium initium rude, exile et ſimplex, ita et gignendae chartae linteae. Mortarium et piſtillum opus eſt ad contundenda linamenta. Manibusne autem an vi aquae ventiue piſtillus moueatur, parum intereſt. Nam vel priſci molis carentes frumentum in pilas miſſum piſtillis tundebant et terebant, vnde piſtrina olim tam frequentia. Cum vero id nimis multas manus poſceret, quae ad alia vtilius adhibendae, cariusque ſtabant, ad molas exſtruendas progreſſum eſt ita, vt circa rotarum frontes adfixae pinnae, cum ab impetu fluminis ventoue percutiuntur, progredientes rotam verſari cogant. Naſci igitur potuit charta lintea opem haud ferente mola. Sane aeque haud indignum inueſtigatione, quando demum mola prima conficiendae chartae linteae fuerit conſtructa, quaue ratione magis atque magis cultae, vt noſtra aetate ad ſummum

per-

perfectionis faſtigium euectae omnibus numeris videantur abſolutae iſtius generis molae.

§. III.

Quo autem difficilius pariebatur charta noſtra, eo frugaliores ſe gerebant maiores in ea adhibenda, vt fit, in re, quae rarior. Hi verbis parcentes paucis multa edicebant, ſeduloque cauebant, vt ne lineae confunderentur fluxiore penna, quin quaelibet litera lectu facilis, clara, diſtincta adpareret, ſecus ac poſteri vix aliquot paginis immo plagularum ſarcinis exſequentes, quod vel tribus quatuorue verſibus et ſpatio aliquot digitorum exponebant nequaquam fidem ex charta metientes.

§. IIII.

Sed et linamenta blattarum ac tinearum epulae et murium illecebrae ex glutino, quod paratur coctis pellium oſſiumque ramentis, cui charta noſtra immittitur et in aëre ſiccatur.

§. V.

Inde eadem caduca valde et fragilis, vt

iacturam patiatur et tabula et ſcriptura quolibet paullo ſiniſteriore caſu.

§. VI.

Cum iſtud antiquius ſeculum minus ferax ſcribis, quin pleraque pars mortalium animi ſui ſenſa literarum monimentis commendatura aliorum ſcribendi peritorum tum pauciorum fidei ſe relinquerent adeo, vt ne quidem nominis ſubſcriptione, niſi Imperatores Regesque monogrammate, agnoſcerent exarata, necesſe erat, quod ipſi in extremo literarum profitentur, ſigillo ea munire. Hoc literis adpendere erat moris, quod quidem in membranaceis commode fieri quiuit, in chartaceis autem non ſine periculo ſcisſurae literis noxiae ex ſigilli pondere. Vt vero illud imprimerent, non dum aderat materia, quam noſtrum quoque aeuum dedit demum tenacisſimam, quin adhiberent cerae genus, cui impoſita charta ſigillum inſcriberetur, caſui aduerſo vel ad huc apud nos obnoxiae.

§. VII.

Iſta autem cuncta ſuadebant parciorem chartularum vſum vt pote minus perennium et ad poſteros durantium.

§. VIII.

§. VIII.

Quod ſi vero et iam largius iis fuisſent vſi, rerum tamen edax tempus iſtius modi documenta citius corruperit, et conſumſerint alia ita, vt pauciora aetatem tulerint, et ad poſteros ſuerint translata.

§. VIIII.

Adſeruatu quidem commodiores erant chartae plures in vnum corpus compactae, inſidiis tamen ſupra §. IIII. memoratis aeque expoſitae. Iam cum neque in fronte neque in calce annum ſcriptionis proderent librarii, vereor, ne ſpes extenuetur et euaneſcat, inde chartae linteae aetatem eſſe definiturum quemquam.

§. X.

Eius igitur nulla patet via quam diplomatibus, quae crepat ſeculum, quippe quorum datum et actum aut exprimit annum aut eius ariolandi veſtigia ſignat.

§. XI.

Eruditisſimo MEERMANNO quidem non alia niſi ex ſcriniis *Quedlinburgenſibus*, cui-

cuius in Analectis Brunſuicenſibus anni CIϽIϽCCXXXV. libello LII. indicium factum, innotuit vetuſtisſima anno *milleſimo tricenteſimo vndequadrageſimo die S. Viti, Modeſti et Creſcentii* exarata charta, qua antiquior Celeberrimae Goettingenſi Societati Regiae anno CIϽIϽCCLV. non dum fuit cognita.

§. XII.

Hac aliquot annis vetuſtior anno eiusdem ſeculi *decimi quarti triceſimo tertio die Veneris poſt adſcenſionem Domini* data ex tabulario *Hohenlohico* in lucem protulit Illuſtris HANSSELMANNVS in vlterius ſolide illuſtratis et maſcule defenſis Regalibus Hohenlohicis p. 323. ſeq.

§. XIII.

Hoc par ſuperat aliud anno *viceſimo ſexto* eiusdem ſeculi, quod in penu ſuo adſeruare teſtatur Doctisſimus PESTELIVS Rintelenſis Profesſor in Nouis Literariis Goettingenſibus anni CIϽIϽCCLVII. libello VII. Nam vt altera charta, quam idem Vir Celeberrimus ſecum habere ibi profitetur, anni *milleſimi ducenteſimi triceſimi noni* ſit linea, vere-

tur

tur antea laudatus Ill. HANSSELMANNVS fretus auctoritate Chronici Gotwicenſis Lib. I. Cap. I. §. 2. p. 13. cuius verba: *De* charta linea *aliqua remanet quaeſtio, quando nimirum eiusdem vſus coeperit? quem non nulli plane ad XI. quidam ad XII. ſaeculum referunt, non obſeruata, vt credimus, differentia inter* chartam bombycinam *et* lineam: *arbitramur proinde*, vix ante ſaeculum XIIII. vſum chartae lineae *inualuiſſe*.

§. XIIII.

Sereniſſimi Principis Domini CHRISTIANI FRIDERICI CAROLI ALEXANDRI Onoldsbaci Franconiae prudentisſime regentis indulgentia luculentisſima per menſem Auguſtum ſuperioris anni licuit mihi eſſe, tam felici Perilluſtris atque Excellentisſimi Iungii auſpiciis inter alia ſcriniorum eius perſpicacia optime digeſtorum eorumque locupletisſimorum vti frui charta vere lintea. En ante omnia ad huc a nemine, quod ſcio, prolata ipſa verba:

FRIDERICVS *dei gracia eccleſie* Auguſtenſis *epiſcopus honorabilibus viris Decano, totique capitulo eccleſie* Fuhtwacenſis

ſis, amicis noſtris kariſſimis, ſalutem et ſinceram in domino caritatem. Cordi nobis eſt eccleſie noſtre defectibus ſuccurrere ipſiusque commodum et vtilitatem promouere in quantum poſſumus et tenemur; cum itaque iuxta quorundam virorum et ammiculi noſtri predilecti R *de* hyrnhain *prepoſiti veſtri relacione precipue iam dudum intellexerimus de quibusdam manifeſtis eccleſie veſtre defectibus, cum in rebus veſtris et perſonis, Idcirco volumus et mandamus, qua tenus ſuper reformacione earundem, cui vtique intendere volumus bona fide, certos nobis ad hoc aptos viros et ydoneos de capitulo veſtro, ad preſenciam noſtram* Auguſtam *tranſmittatis ad terminum quem vobis, diſcretus vir ac dilectus nobis magiſter* h. *de* Nortenberch, *notarius noſter deputabit et aſſignabit in quo nobis eccleſie veſtre, necnon omnium veſtrorum profectum procurabitis noſtro et prepoſiti veſtri concilio et auxilio mediante volentes vt concanonicos veſtros abſentes qui de conſwetudine fuerint euocandi veſtris literis ad eundem terminum et locum euocetis, et predicto magiſtro* h. *ſuper referendis vobis ex parte noſtri fidem credulam adhibere velitis. Datum Auguſte x kalen. Maii.*

§. XV.

§. XV.

Vſu fidismodo iſto magiſtro edoctus, quot impoſuisſe cupidinem videre, quod voluerunt, vocabam iterum iterumque in dubium illam tabulam. Licetne anteſtari Viros, quos alit Princeps Aequisſimus meritorum Iudex, rei diplomaticae peritisſimos? Licebit aeternum memori eorum facilitatis et humanitatis, qua exceperunt foueruntque plane ſingulari, vt ipſi loquantur, quanta ſollicitudine eam ego exploraui, nec prius adquieui, quam dum ſenſus dixerim pene omnes conſpirantes eo me adigerent, vt nihil esſet reliqui, quod vel minimam ſuſpicionis ſpeciem prae ſe ferret. Quo fortius reluctabatur mens mea, eo fortius conuincebatur, fila nec bombycina esſe ſerica neque ex linis xylinis nucis, quae gosſipion ſiue xylon fert, cuius ex interiore bombyce lanugo netur, ſed linea esſe. Fuerit autem circiter octaua plagulae pars ſiue folii ſatis glutinata et ex ſenio ſubflaua.

§. XVI.

Literarum forma non eſt alia, quam quas ineunte ſeculo quarto decimo vſitatas fuisſe tot millia membranarum iſtius aeui ſatis ar-

guunt ne a literatiſsimo quidem ad huc in ius aut ſuſpicionem vocatarum.

§. XVII.

Neque natu minorem praeſule, qui eas dedit, eſſe chartulam, loquitur effigies, qua ſignata, eius tergo tam tenaciter inhaerens, vt prius comminui quam auelli ſe patiatur, nec tam expreſſa fuerit, ſi aliunde in eam translata. Et qui transferatur aut vnde, quoniam tum temporis eas non infigere ſed adfigere ſiue adpendere membranis in conſenſum verterat?

§. XVIII.

Dabat autem illas literas FRIDERICVS ſe ipſum *Auguſtenſem Epiſcopum* nominans. Si quaeris, cuius gentis; reſpondet BVCELINVS in Topochronoſtemmatographica Sacra et Profana German. Sacr. Part. I. p. 13. *Speet* de *Faymingen*, quo nomine quoque comparet in literis anno CIƆCCCXV. exaratis et a Viro Perilluſtri et Excellentisſimo *de* IVNG in illa lance ſatura optimis quibusque frugibus referta Miſcellan. Tom. III. p. 236. excerptis. Apud CRVSIVM in Annal. Sucu. Part. III. Lib. III. Cap. XVIII. eius loco eſt *Faeningen*. In manuſcrip-

ſcriptis tamen ACHILLIS PIRMINII GASSARI Annalibus Augſtburgenſibus, quos olim Menkenio meo Scriptores Rerum Germanicarum conquirenti paraui prelo, inueni *Spatum* de *Turnegga*, et ſi operarum incuria in eorum Tom. I. p. 1472. *ſpactus* fuit illatus. Nec alium, quam *Speethum* de *Thurnegg* nouit recentisſimus Hiſtoriae Auguſtanae conditor fide dignisſimus Gen. *de* STETTEN Cap. VI. §. XVIIII. Componant hanc litem, quibus propius inſpicere licet Auguſtanorum res.

§. XVIIII.

Vno ore fatentur omnes, regimen eius durasſe ab anno cIↃcccvII. ad cIↃccccxxx. Intra hoc temporis ſpatium exarasſe illas literas ſatis conſtat. Si ſtatim inito honore, exiſtimauerim, id vel verbo prodidisſe, vt in multis contigit. Non ſcripſisſet: *Cum* iam dudum *intellexerimus*. Inde tamen non dum euictum, prodiisſe eas demum in extremo vitae. Nam et huius forſitan esſent veſtigia.

§. XX.

Certiora proferre quis posſet, ſi liqueret, annum cIↃcccvII. qui *Rudolpha* de *Hyrnbain*

in Genealogia Ordinis Equeſtris Franconici ad Almonam BIEDERMANNIANA Tab. CCXXI. adponitur, emortualem fuiſſe. Sane ibi ſalutatur *Capitularis et Praepoſitus Capituli Auguſtani*, quem et *Feuchtwangenſis eccleſiae capituli* tum, cum iſta exararentur, fuiſſe *praepoſitum*, ex iſta charta palam fit.

§. XXI.

Nec vola nec veſtigium *H.* de *Nortenberch* notarii in charta nominati, ut inde aliqua coniectura aetatis eiusdem fieret, adparet.

Implebit autem intra decennium officina, quae antea vaga ſedem fixit ſupra Curiam noſtram ad Salam paullo ſupra confluentem Regnitii ſuperioris, tum per vniuerſas terras CELSISSIMIS PRINCIPIBVS BRANDENBVRGICIS in Franconia parentes prima et per multos annos vnica, officinae libris ſtanno exſcribendis tredecim annis ante hic Curiae a Matthaeo Pfeilſchmidio patre inſtitutae ſecundae reliquarum earumdem regionum matri miniſtrans chartam ex eo adeo exculta, vt cum maxime Wunnerlichianum nomen remotisſimos exciuerit ad arceſſendam chartam cum Belgica de principatu contendentem.

RE-

RECENSIO

Programmatis Longoliani, quæ exſtat in Diario Gottingenſi (die Gottingiſche Anzeichen von Gelehrten ſachen) quod auſpiciis prodit Regiæ ſocietatis Scientiarum. N. LVIII. D. XXIX. Mai. CIƆIƆCCLXII.

A Celeb. Rectore P. D. Longolio programma accepimus, publicatum d. x. Martii huius anni, cui titulus: *Chartam indubitate linteam, hactenus notis antiquiorem, in medium ponit.*

D. Rector Admonitione Meermanni, Syndici Roterod. ad inveſtigandam primam remotiſſimamque hodiernæ chartæ lineæ orignem excitatus in fine programmatis exhibet nobis diploma Latinum *Auguſtenſis* cuiusdam Episcopi nomine *Friderici*, quod inSereniſſimiPrincipis Onoldsbacenſis tabulario adſervatur. Putat D. Longolius, illud monumentum eius generis ceteris omnibus, hactenus notis, eſſe antiquius. Equidem, diploma hoc chartæ veræ lineæ inſcriptum eſſe, contra Cl. Rectorem, qui ipſe illud manibus ſuis verſaverit

atque in illud anxius inquiſiverit, negare nolumus; at vero nemini non ſcrupulum movere debet, quod eidem, ut tum temporis fieri conſuevit, nulla plane ætatis addita eſt mentio.

Optaveramus, ut Cl. Editor pro ſua rerum Hiſtoricarum peritia ad tollendum vel certe minuendum hunc ſcrupulum, quidquam obſervaſſet. Quum itaque ipſe annus, ex quo tamen præcipue hic loci argumentari liceret, in diplomate prætermiſſus eſt, ſedulo operam navat Cl. Rector, ut eius ætatem argumentis aliunde depromptis conſtituat. Credit itaque, Literarum ductus ac ſcribendi formam omnino ſeculo XIIII. ineunti eſſe accommodatiſſimam. Sigillum quoque haud poſterioris temporis inventum eſſe contendit, cum tenaciter adeo chartæ inhæreat, ut, niſi comminuatur, inde avelli non poſſit. Et ſiquidem Epiſcopus Fridericus, uti inter omnes conſtat, ab anno CIↃCCCVII. ad A. CIↃCCCXXX. Epiſcopalem ſedem Auguſtæ tenuerit, conſequens eſſe, intra hoc temporis ſpatium Diploma illud datum fuiſſe. illud tamen initio honoris Epiſcopalis fieri non potuiſſe, partim, quia Epiſcopus has rerum circumſtantias plane non prætermiſiſſet ſilentio, partim, quia inter alia expreſſe dicat:

cum

tuin iam dudum intellexerimus &c. inde tamen nondum evinci poſſe, Epiſcopum has literas brevi ante mortem edidiſſe, quoniam facile huius rei veſtigia quædam (certe ex opinione Cl. Rectoris, qui ob probabilem rationem arbitratur, Epiſcopum æque minus atque alios mortis tempus præſentire potuiſſe) adparerent. Ceterum de ætate huius chartæ certius iudicari poſſe, ſi liquidum eſſet, in ea memoratum Præpoſitum *R de Hyrnbain* A. CIↃCCCVII. diem obiiſſe ſupremum, uti illud Biedermannus in Tabulis Genealogicis Ordinis Equeſtris Franconici ad Almonam de homine eiusdem nominis atque conditionis referat.

Quando & nobis licet, noſtram hac de re ſententiam proferre, liquido pronunciamus, nos argumentis Cl. Longolii de ætate huius diplomatis plane convinci non potuiſſe. Si poſtea nulli Auguſtenſi Epiſcopo nomen illud *Friderici* fuiſſet, quam illi, qui ab A. CIↃCCCVII. usque ad an. CIↃCCCXXX. regimen habuerit, minus dubitaremus D. Rectori adſentiri: ſed, cum itidem A. CIↃCCCCXIIII. Auguſtenſem Epiſcopum ſimili nomine adpellatum inveniamus, credimus Cl. Rectorem præ primis certis argumentis probare debuiſſe, qua de cauſſa illud Diploma ma-

gis

gis I. quam II. Friderico ſit adtribuendum; auctoritati namque Cl. Biedermanni in rebus Genealogicis parum credendum putamus. Tabulæ eius erroribus ſcatent & ſcriptæ ſunt ſine ulla probatione. Ex argumentatione quoque ſcripturæ literarumque parum hac in re profici poteſt. Diplomata namque, quæ initio ſeculi XV. ſunt exarata, aut difficile aut interdum etiam minime a Diplomatibus ſeculi XIV. diſtingui poſſunt. Quandoquidem ſunt Diplomata eiusdem anni atque hominis, quæ, ſi tantum ex ſcriptura iudicare vellemus, recte duobus ſeculis adſcribi poſſent. in hoc quidem caſu ſigillum præcipuum oportet ſit argumentum. Optandum foret adhuc, ut Cl. Rector ſigillum huius Diplomatis ſecundum externam atque internam eius indolem (e. g. magnitudinem, formam, colorem titulumque) deſcriberet, & in primis indicaret, an effigies & qualis ei indita ſit: tum enim illud adcurate deſcribi poſſet, atque etiam, ſi operæ pretium eſſet, æri inciſum hoc ſigillum cum aliis utriusque Auguſtenſis Epiſcopi ſigillis comparare, indeque Diplomatica certitudine diiudicare, utrum ad Fridericum I. an II. pertineat, ac per conſequens, an inde quidquam utilitatis, quantum ad inquiſitionem hodiernæ chartæ originis, hauriri poſſit.

VI-

VIRO CLARISSIMO ATQUE

DOCTISSIMO

P. D. LONGOLIO

S. P. D.

GERARDUS MEERMAN.

LÆtus gratusque accepi V. Cl. quæ ad me nuper miſiſti literaria munuſcula, inprimis de charta antiquiſſima lintea Tibi nota programma, quod cum voluptate fructuque legi. Utinam alii viri docti, ad quos exempla admonitionis meæ per totum fere terrarum orbem ſparſi, æque mihi propitii eſſent, ad communicandas ſuas hac de re obſervationes. At vix quinque vel ſex literæ ſunt, quas ſuper hoc argumento recepi, quum plusquam centum literatis meam opellam miſerim, eaque inſuper permultis Diariis inſerta fuerit. Adeo grave illis eſſe dixeris, opem mihi ferre. Expecto autem proxime ſubſidia ex Anglia, unde amicus mihi ſcripſit, reperiri inter archiva Epiſcopatus Cantuarienſis chartam linteam, quæ fere ad

a 1280. adſcendat. Vereor autem, ut ejus origo noſtra ætate detegatur. Si eam in rem integrum opuſculum mediteris, bene feceris, ſi exſpectes, donec anno proximo Deo volente in Actis Lipſienſibus publice expoſuero, quid ex variis Europæ partibus eo circa ad meam pervenerit notitiam. Vale V. Cl. & me amare perge. Dab. Stadvici, in prædio meo ſuburbano prope Leidam d. 29. Maji 1762.

NOTITIA

Transmiſſa per Ill. Baronem Senckenbergium Vindobona XI. Kal. Mai. CIƆIƆCCLXII.

NIſi me fallit memoria, vidi a. 1740. Vindogræcii in tabulario civico Diploma exaratum anno 1303. in charta, qualis hodie conficitur, linea, ſed craſſiore. Quoniam vero excerpta mea Vindogræcenſia ſenis intra decem annos demigrationibus, temere disjecta, in aliquo meorum cubiculorum alte ſepulta jacent, ea etiam magna oblata mercede deſperem in conſpectum producere.

Popovius (Poppewitſch)
Eloq. Germ: Profes.

NO-

NOBILISSIMO VIRO
GERARDO MEERMANNO
REIPUBLICÆ ROTERODAMENSIS SYNDICO ET LITERARUM STATORI
GREG. MAJANSIUS, GENEROSUS VALENTINUS
S. D.

CUm incredibili cupiditate ardeas, Vir Eruditiſſime, cognoſcendi omnia, quæ ad litteras pertinent; mirum non eſt Te ſcire velle, quo tempore uſus cœperit hodiernæ chartæ, ejus ſcilicet, quæ ſit ex fragmentis linteorum lini aut cannabi comminutis, et in maſſam redactis: cujus inventionis tempus ſi probe cognitum fuerit, de multorum librorum antiquitate melius judicabitur.

Antiquiſſimum monumentum in hujusmodi papyro exaratum, quod ego ſcio, illud eſt, quod Franciscus de Berganza, monachus Benedictinus, vidit, deſcripſitque *Antiquita-*

tum Hiſpaniæ Lib. VII. cap. 7. §. 124. his verbis. *En el monaſterio de Silos ſe conſerva un Vocabulario todo latino, eſto es., que la voz latina menos uſada ſe explica con otra tambien latina mas uſual, i entre hoja, i hoja de vitela, tiene otra de papel, aunque algo grueſſo, mui bien batido: la letra es Gothica; i aſſi eſtoi en juicio, que por lo menos ſe eſcriviò, en tiempo del Rei Don Alfonſo el ſexto.* Quæ verba ad litteram ſic latine ſe habent. *In monaſterio Silenſi conſervatur Vocabularium omnino Latinum, hoc eſt, vox Latina minus uſitata explicatur per aliam etiam Latinam uſitatiorem: & inter folium & folium vitulinum habet aliud papyri, quamvis aliquantulum craſſæ, bene contuſæ.* (Hæc foliorum membraneorum intermixtio etiam obſervatur in aliis libris veteribus, fortaſſe ob defectum unius, aut alterius generis chartæ, ut videre eſt in Antonii Auguſtini Bibliotheca M. S. Latina. Proſequitur Berganza.) *Litteræ ſunt Gothicæ. Itaque judico minimum ſcriptum fuiſſe tempore Regis Domini Alfonſi Sexti.* Hæc Berganza, qui litteras Gothicas optime novit: & ob ignorantiam ſcripturæ Gothicæ minime ad vulgus relegandus eſt. Merito itaque aſſerit, Vocabularium illud Gothicis litteris exaratum minimum ſcriptum fuiſſe tem-

tempore Regis Alfonſi VI. Nam eo vivente celebratum fuit Concilium Legionenſe, quo prohibitus fuit uſus characterum Gothicorum, qui intelliguntur nomine Litteræ Toletanæ; quia nimirum Toleti, urbis Regiæ, in uſu erant, cui litterarum generi ſubſtitutæ fuerunt Gallicæ, prout didiſcimus ex Ruderico Toletano, *Lib. VI. cap.* 30. ubi ita ſcripſit. *Et interfuit etiam* (Garſiæ Regis funeri) *Renerius Legatus, & Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, ibidemque celebrato Concilio cum Bernardo Toletano Primate, multa de officiis Eccleſiæ ſtatuerunt, & etiam ut de cætero omnes ſcriptores, omiſſa littera Toletana, quam Gulphilas Gothorum Epiſcopus adinvenit, Gallicis litteris uterentur.* Ait Rudericus, *omnes ſcriptores* (de omnibus ſcriptoribus librariis puto ego hoc intelligendum: non de reliquis etiam, quod incredibile eſſet) ut intelligamus, neminem poſtea uſum fuiſſe Gothicis characteribus: in quo diſſentio a Stephano de Terreros & Pando Soc. Jeſu, ſeu potius a ſummo amico meo, Andrea Marco Burriele, ejusdem Societatis, vero auctore *Palæographiæ Hiſpanæ*, qui, ut *pag.* 20. aſſereret, Clericos Muzarabes Toletanos retinuiſſe poſtea in libris Liturgicis uſum litteræ Gothicæ, alio documento uti debuit diverſo

 ab

ab Eugenii tertii. Bulla ad Muzarabes Toletanos deſcripta a Cardinale Aguirrio, *tomo III. Concilior. Hiſpan. pag.* 362. ubi litteræ Gothicæ nullam mentionem Eugenius fecit.

Promulgata fuit illa prohibitio eodem anno, quo obiit Garſia Rex, Era ſcilicet 1129. non 117. ut per errorem legitur apud Rudericum Toletanum, *Lib. VI. cap.* 30. Nam Lucas Tudenſis eo antiquior, Regis Garſiæ obitum, & Concilium Legionenſe hoc modo conjunxit, *tomo IV. pag.* 101. *Hiſpaniæ Illuſtratæ. Rex autem Garſias cum veniret Legionem, in intinere mortuus eſt: cujus funeri ambæ ſorores, Urraca ſcilicet & Geloyra more Regio occurrentes, & Renerio Romanæ Eccleſiæ Legato, qui poſtea Papa effectus eſt, & cum Bernardo Toletano Archiepiſcopo, aliiſque comprovincialibus Episcopis, & Abbatibus Synodum celebrabat, omnibus pro ejus anima Deo ſalutarem hoſtiam offerentibus, corpus ejus in eadem urbe cum patribus ſuis ſepulturæ honorifice tradiderunt, Era MCXXIX. In prædicta vero Synodo almi ſacerdotes de Fide Catholica colloquentes ſtatuerunt, ut ſecundum regulam Beati Iſidori Hiſpalenſis Archiepiſcopi Eccleſiaſtica Officia in Hiſpania regerentur. Statuerunt etiam, ut Scriptores de cætero Gallicam litteram ſcriberent,*

rent, & prætermitterent Toletanam in Officiis Eccleſiaſticis, ut nulla eſſet diviſio inter miniſtros Eccleſiæ Dei. Huc usque Lucas Tudenſis loquens de rebus geſtis Era MCXXIX. Niſi malis hæc contigiſſe Era MCXXVIII. nam in Annalibus præmiſſis Hiſtoriæ Compoſtellanæ ita ſcriptum eſt. *Garſias, qui in exilium Hispalim abierat, ad Fratrem ſuum Adefonſum, qui, ut dictum eſt, Regnum acquiſierat, cum magna feſtinatione infortunate remeavit. Ipſe enim Adefonſus ſuæ ſororis Urrachæ conſilio eum captum IV. idus Februarii Era M. C. XI. in carcere retruſit, & usque ad mortem ibi tenuit. Eſt autem ille Garſias mortuus die VI. Feria XI. Kalendas Aprilis, Era M. C. XXVIII. ad cujus ſepulturam fere omnes Hispaniæ Episcopi & Abbates Legionem convenerunt, & eum honorifice Regio more ſepelierunt. Cardinalis ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Raynerius, qui poſtea in Papatum promotus fuit; Concilium ibidem celebraverat, cui Rex Adefonſus cum Comitibus, Principibus Hispaniæ &, ut ſupradictum eſt, cum Episcopis, & Abbatibus interfuerat.*

Haec omnia confirmat *Hiſtoria Generalis Hispaniæ, Parte IV. fol.* 314. *col.* 2. Adde Didacum Mecolætam, monachum Benedictinum, in *Additionibus*, quas adjunxit libello

ſuo inſcripto *Ferreras contra Ferreras*, aſſerentem ſe interfuiſſe regeſto & coordinationi Tabularii Eccleſiæ Toletanæ, & obſervaſſe a primo privilegio Regis Alfonſi VI. nullum ibi inſtrumentum Gothice ſcriptum inveniri. Cum igitur tam religioſe obſervata ſit illius Regis prohibitio, dicendum eſt, Vocabularium illud, cujus meminit Berganza ſcriptum fuiſſe ante annum 1090. quanto autem tempore antea, divinare non poſſumus, cum Petrus Abbas Cluniacenſis, qui anno 1120. aut circiter, ſcripſit Tractatum contra Judæos, eos irridens ita ſcripſerit. *Sed cujusmodi librum? ſi talem, quales quotidie in uſu legendi habemus, utique ex pellibus arietum, hircorum, vel vitulorum, ſive ex biblis, vel juncis orientalium paludum, aut* EX RASVRIS VETERVM PANNORVM, *ſeu ex qualibet alia viliore materia compactos, & pennis avium, vel calamis paluſtrium locorum qualibet tinctura infectis deſcriptos.* Ubi libri *ex raſuris veterum pannorum*, proculdubio ſunt papyracei, quales nunc habemus, quos minime dubito in Hiſpania eo tempore frequentiſſimos fuiſſe. Nam Scherif Al-Edriſſi, Geographus Nubienſis, oculatus teſtis, qui floruit anno 1151. in libro *Relaxationis animi curioſi*, *climatis IV. parte I. pag.* 160. *ita ſcripſit.*

Sà-

Sàteba autem urbs eſt venuſta, habetque oppida tam pulcra, & munita, ut proverbiò circumferantur. In ipſa præterea conficitur papyrus præſtantiſſima, & incomparabilis.

Sed ecquis mihi definiet Sætabæ papyri antiquitatem? Locum conſidera ejus vel inventioni, vel fabricationi commodiſſimum. Ad papyri materiam quod attinet, memoria repete, Silium Italicum *Punicorum Lib. III.* ℣. 371. Sætabas telas ita celebraſſe.

Hos inter clara thoracis luce nitebat
Sedetana cohors, quam Sucro rigentibus undis,
Atque altrix celſa mittebat Sætabis arce,
Sætabis & telas Arabum ſpreviſſe ſuperba,
Et Peluſiaco filum componere lino.

Catullus *carm.* 12. & 25. refert, ſublata ſibi ſætaba ſudaria. Notum autem eſt, naribus emungendis deſtinari telas delicatas, & ſuaves, ne illis ingratæ ſint. Sætaborum ſudariorum abundantiam arguit, quod ait idem Catullus dicto epigram. 12. alludens ad eorum parvum pretium.

Quare aut hendecaſyllabos trecentos
Expecta, aut mihi linteum remitte:
Quod me non movet æſtimatione,
Verum eſt mnemoſynen mei ſodalis.

Sed ab Hiſpania ei miſſa non fuiſſent ſudaria, niſi grata eſſe deberent. Eorum vero frequentiam nihil magis probat, quàm Plinium in Dedicatione operis immortalis, Sætaba nominare, per ellipſin ommittentem ſudaria: quæ figura non committitur, niſi cum verborum uſus ita frequens eſt, ut facile ſciatur, quod nomen ſupplendum ſit. Illa vero ſudaria fuiſſe linea, facile credet, qui meminerit Vatinium, cum accuſaretur a Calvo, candido frontem ſudario terſisſe, ut memorat Quintilianus *Lib. VI. cap.* 3. non igitur erant e panno laneo, qui neque ſolet eſſe albus, neque ſudori exfricando aptus ob ſcabritiem. Idemque dicendum eſt de ſudario cannabino. Sed quid verbis opus eſt? Strabone teſte, *Lib. III. pag.* 99. ex Hispania advehebantur *ſumme tenuia texta, quæ Sætabitæ faciebant*. Ubi recte Caſaubonus in notis, *pag.* 56. pro *Saltiatæ*, voce nullius ſignificationis, *Sætabitæ* repoſuit, hanc emendationem probante Ludovico Nonio, in *Hiſpania, cap.* 68.

Ergo linum illud præſtantiſſimum variis uſibus egregie ſerviebat. Ideo Gratius in *Cynegetico*, *p.* 41. agens de retibus conficiendis, dixit.

Hiſpanique alio ſpectantur Sætabes uſu.

Sic

Sic quod Galli dicunt *Satin*, genus telæ bombycinæ, antea dicebatur *Zatavin*, ut ex rationibus Stephani de la Fontaine anni 1350. probavit Ægidius Menagius in Dictionario Etymologico linguæ Gallicæ v. *Satin*. Jacobus Roig, præſtantiſſimus Poëta Valentinus, qui ſcribebat anno 1464. libro *Conſiliorum*, *fol.* 21. *cap* 2. nominavit telam illam *Ceti*, eadem, ut puto, origine, converſa A, in E, ut plerumque fieri ſolet, & ablata N. ut nominis terminatio eſſet Valentina. Illud etiam probaverim, Italicam vocem *tabi*, & Gallicam, *tabis*, a Sætabi derivatam: nam eodem Menagio obſervante in *v. Tabis* in inventario mobilium Caroli V. excuſo poſt ejus Hiſtoriam ſcriptam ab Abbate de Choiſy, hæc leguntur: *Un ſurcot, & un chaperon de Zatabis violet, fourrè de menu vair.* Ex telis Sætabis fiebant etiam tentoria ut refert Escolanus in *Hiſtor. Regni Valentiæ*, *Lib. IX. cap.* 21. *num.* 4.

Mirum igitur non eſt, Plinium in *Hiſt. Nat. Lib. XIX. cap.* 1. Sætabo lino tribuiſſe primam in Europa palmam. Verba ejus ſunt hæc. *Similiter & in Italia regione Alliana inter Padum Ticinumque amnes, ubi a Sætabi tertia in Europa lino palma: ſecundam enim in vicino Allianis capeſſunt Retovina, & in Æmilia via Faventina.*

Quapropter cum arte textrina adeo excelluerit urbs Sætabi, & quidem ante Pœnorum in Hiſpaniam adventum, ideo Samuel Bochartus in *Chanaan*, *Lib. I. cap.* 35. ſuſpicatus eſt, Sætabin accepiſſe nomen a *Setibuts*, id eſt, ſtamine vel tela byſſi, quæ ibi texebatur: Et ante eum Alfonſus Zamora in lexico adjuncto Bibliis Complutenſibus, fol. 106. col. 2. *ſadin* interpretatus fuit *ſindonem linteum*. Notum autem eſt, plurimas nationes d in t permutare. *A. Sadin* igitur facile dici potuit *Satin*, & inde *Sætabi*, quod nomen videtur Phœnicium.

Ut ut autem ſit, papyrus Sætaba fuit præſtantiſſima in orbe terrarum ut ait Eſcolanus, *Lib. IX. cap.* 22. *num.* 4. Si vis autem ſcire cujusmodi eſſet, ſume exemplum e prægrandi libro, quem habeo ſcripto in ipſa urbe Sætabi per varios deſcriptores continuato ab anno neſcio quo ad annum 1435. ex quo unum folium ad Te mitto, unde diſces formam & qualitatem papyri Sætabæ, cujusmodi erat ſæculo, ut conjector, XIV. & certe initio XV. Hæc papyrus, ut in memorati libri foliis ſoli oppoſitis obſervavi, etiam habet ſignum, ut Italica habebat, pro ut ſuo jam tempore teſtatur Bartolus, qui ſcripſiſſe videtur ab anno 1345. aut circiter,

ad

ad annum 1357. in tractatu de Inſigniis, & Armis, ſub rubrica 8. cujus teſtimonium optime notaſti.

Præter Vocabularium Silenſis monaſterii ſupra memoratum indicemus aliud inſtrumentum papyraceum eximiæ antiquitatis. Id eſt, Concordia, ut ita dicam, ſive pactum ſcriptum anno Domini 1178. inter Regem Ildephonſum, ſecundum Aragonum, & primum Catalauniæ, filium Raimundi Berengarii, & Alphonſum IX. Caſtellæ Regem, qui pacti fuerunt quomodo inter ſe partiri deberent terras, regiones, & Regna, quæ bello adverſus Mauruſios adquirere cogitabant. Cuſtoditur hoc monumentum in Regio tabulario Barcinonenſi, viditque illud auctor *tomi I. Regiæ Academiæ Bonarum litterarum urbis Barcinonis, cap. 2. pag.* 355.

Idem ſcriptor meminit, ſe vidiſſe aliam ſcripturam inventionis corporis ſancti Cucuphatis, quæ ſupponitur ſcripta anno 1079. quanquam candide profitetur videri ſibi ejus characteres tempore illo recentiores.

Ex eodem libro, *pag.* 355. didici Regeſta Expugnationis Regni Valentiæ incipere ab anno 1237. tempore Jacobi, cognomento Expugnatoris, & continuata fuiſſe ab ejus ſucceſſoribus, omnia exarata in papyro.

Or-

Quam uſitata autem papyrus eſſet in hoc regno Valentiæ, declarant ejus leges, ſive Fori, qui promulgati fuerunt anno 1250. uti conſtat ex inſcriptione fori 1. in quibus frequens fit mentio papyri. Nam *foro* 18. *rubrica* 34. *de leuda & hoſtalage*, *e altres drets reals*, *e de corredors*, *lib. IX.* legitur, *caxa de paper quatre ſous*, hoc eſt, *capſa papyri quatuor ſolidos.* In *foro* 21. *ejusdem rubricæ* 34. *lib. IX.* ubi agitur *de hoſtalatge* (tributi ſpecie) dicitur, *caxa de paper*, *dotſe diners*, hoc eſt, *capſa papyri*, *duodecim nummulos æreos*. In eodem *foro* 21. *rubrica* 34. *libri IX. pedaz de paper* (caſtellane, ut puto, *pliego de papel*) *no done alcun peatge*, hoc eſt, non ſolvat *aliquod pedagium.* In privilegio 46. Jacobi I. dato anno 1251. legitur *fol.* 15. *col.* 1. *carga de paper donet duos ſolidos*, hoc eſt, onus papyri contribuat duos ſolidos.

Verum in primis memorabile eſt Privilegium 17. Petri ſecundi inter Valentinos, & quarti inter Aragonum Reges, quod integrum hic deſcribam, quia forte illud non habebis ad manum. Sic autem ſe habet, *fol.* 106. *col.* 2.

„ Q' papirus valentie & xative reducatur „ ad formam antiquam; al' moſtazaffii exhi„ gant penas ut de aliis fraudibus.

„ Pe-

„ Petrus dei gratia rex aragonum valè..
„ &c. dilecto conſiliario noſtro arnaldo de
„ moraria baiulo regni valentini generali nec
„ non fideli ſuo baiulo xat' vel eorum locat'.
„ parentibus vel qui pro tempore fuerint
„ ſalutem & dilect': Etſi regalis prehemi-
„ nencie incumbit officio ſubditorum incom-
„ moda evitare illis tamen precipue tenetur
„ occurrere que in damnum reipublice re-
„ dundare potius dinoſcuntur. Sane ſicut
„ rumor plurium noſtrorum familiarium ac
„ nonnullorum etiam aliorum noſtrum cre-
„ bius pulſavit auditum tám in civitate valen-
„ tie quam etiam in xat': artifices ac magiſtri
„ papirum fabricantes ipſam papirum tam
„ in forma quam in ciſa (hoc eſt, inciſione)
„ & al' exquiſitis fraudibus anichilarunt &
„ destruerunt adeo que regiſtra & capibrevia
„ curiarum & notariorum in quibus ſcripture
„ publice & autentice reconduntur ac etiam
„ regiſtrantur & libri privatarum perſona-
„ rum infra brevis temporis ſpacium lace-
„ rantur & deſtruuntur & folia inde ad inui-
„ cem ſeparantur nec minus in proceſſibus
„ curiarum ſeu litium regule ſeu linee iuxta
„ prouiſionem regiam in ſingulis foliis ac
„ paginis ordinate poſſint recipi ſeu ſcribi:
„ quorum pretextu litigantes plurimum
„ vexan-

„ vexantur expenſis. Nos itaque volentes
„ damnis & fraudibus huiusmodi ut conuenit
„ obuiare noſtrisque ſubditorum indemnita-
„ tibus prouidere: Six duximus prouiden-
„ dum ac etiam ordinandum: qua deinceps
„ dicta papirus reducatur ad formam anti-
„ quam: & per dictos magiſtros ſeu fabrica-
„ tores fiat iuxta formam antiquam & prout
„ antiquitus tam in forma quam ſiſa quam in
„ penſo & al' erat fieri aſſuetum. Quare
„ vobis & vnicuique ueſtrum dicimus & ex-
„ preſſe mandamus quatē ordinationem &
„ prouiſionem noſtram huiusmodi eisdem ma-
„ giſtris voce preconis publice nuncietis &
„ in regiſtris curiarum officiorum vobis com-
„ miſſorum ne ignorancia pretendi valeat &
„ ad inueniendum de facili ſi caſus ocurrerit
„ conſcribi ac regiſtrari protinus faciatis.
„ Mandamus inſuper muſtazaſſiis ciuitatis
„ valentie & xat' quod ſi contra dictam or-
„ dinationem & prouiſionem noſtram aliquam
„ fraudem de cetero commiti inuenerint ac
„ defectum: executiones inde faciant que in
„ & de aliis rebus in quibus fraus committitur
„ ſunt fieri aſſueti: datum valentie vij. idus
„ decembr. A. d. M. CCCXXXVIIJ. (*a*)

In

(*a*) Verba huius Privilegii Scripturæ compendiis ubique exarata, atque ita quoque a Cl. Maianſio in literis hisce adcurate descripta integra nos maximam partem exhibuimus.

In hoc privilegio videmus non ſolum Sætabi, ſed etiam Valentiæ fabricatam fuiſſe papyrum antiquitus, adeo juſte in qualitate & forma, ut hae a Rege requirerentur, exigerenturque. Cumque forma antiqua non dicatur præſcripta primum fuiſſe vel a ſe, vel ab aliquo ex ſuis prædeceſſoribus, & aliunde ſciamus ſub dominatione Maurorum eximiam papyrum fabricatam fuiſſe, antiquitas illa a multis retro ſæculis repetenda eſt.

Quis igitur miretur, Alfonſum ſapientem in Partitis meminiſſe papyri, quali hodie utimur? Compoſitæ fuerunt Partitæ anno 1263. ut optime probavit Marchio Mondexarenſis in Vita Alfonſi ſapientis, *Lib. VII. cap.* 4. Hic igitur legislator *l.* 5. *tit.* 18. *Part.* 3. loquens de ſcripturis, quibus adjungi debet ſigillum cereum pendens, ait. *E eſtas ſon en muchas maneras, quelas unasfacen en pergamino de cuero, e las otras en pergamino de paño.* Id eſt, *Atque hae* (ſcripturæ) *multimodæ ſunt, aliæ enim fiunt in pergameno coriaceo, aliæ in pergameno panni.* Hic (ut omnis ambiguitas tollatur) videndum eſt, quid ſignificet *pannus.* Doctiſſimus Alfonſus Palentia, qui *Univerſale Compendium Vocabulorum ex lingua Latina eleganter collectorum, cum vulgari expoſitione* impreſſit Hiſpali apud Paul-

Paullum de Colonia anno 1490. in folio, in v. *pannus*, ita ſcripſit. *Pannus panni. maſculini generis, ſecunde declinationis quo utuntur homines ad veſtes. diminutivum ejus eſt panniculus panniculi.* Quæ ipſe Palentia ſic enucleate vertit. *Pannus. paño de que uſan los ombres para ſe veſtir: o de lana* (obſerva diverſas ſignificationes) *o de lino: o de ſeda: es ſu diminutivo panniculus pannizuelo.* Hæc Palentia. Antonius etiam Nebriſſenſis, qui Vocabularium Hispano-Latinum edidit anno 1492. ita ſcripſit.

Pañezuelo de meſa. mantile, is.
Paño de lino, o lana pannus, i.
Papel. Charta papyracea. *pannucea.*

Omitto innumera aliorum teſtimonia. Ergo *pannus* poteſt eſſe laneus, aut lineus, aut bombycinus. Hodie etiam in Hispania ſudaria dicimus pañuelos: & plerumque ſolent eſſe linea: nam bombycina, aut goſſipina, in uſu eſſe cœperunt poſt tabaci introductionem ad emungendas nares, ut muccorum eo infectorum fœditas magis diſſimularetur. Et homines urbani, qui tabacum aſſumunt, etiam ſudariis lineis utuntur more antiquo ad ſudorem exfricandum, labra extergenda,

aut

aut dulciaria involvenda. Quænam igitur ſignificatio Regis Alfonſi legi magis convenit? Proculdubio lini. Quia eo tempore papyrus, e lino, quali hodie utimur, jam in uſu erat. Cum autem papyrus hodierna introduci cœpit, erat in omnium uſu charta pergamena, quam Hiſpani dicimus *pergamino*: & cum papyrus linea recens inventa non haberet nomen, dici cœpit, *pergamino*, & paullo poſt *papel*, ad ſimilitudinem ſcilicet ſubjectorum ſcripturæ, chartæ ſcilicet pergamenæ, & papyri Ægyptiacæ: quemadmodum pluma anſerina, quæ ſcribendi inſtrumentum eſt, ſuccedens ſtylo, & calamo, utroque nomine inſignita eſt. Inde nata diſtinctio illa: *pergamino de cuero*, & *pergamino de paño*. hoc eſt, charta membranea, dicta *pergamena* a loco inventionis, & charta pergamena e *panno*, hoc eſt, linteo lineo, ſive cannabino, ex quo formata fuit.

Si vis autem ſcire qualis eſſet papyrus, quæ in uſu erat ſub Alfonſo ſapiente, ejus exemplum ad Te mitto, quod debeo Cl. doctiſſimoque viro, Ferdinando Velaſco, Patrono Fiſcali inter Duodecimviros litibus judicandis in Regia domo & urbe, ſummo amico meo, qui eximiam & copioſisſimam bibliothecam poſſidet, etiamque plura inſtru-

menta chartæ ejusdem materiæ, ac hodiernæ, exarata ab anno Natalis Chriſti 1298. usque ad 1340. atque mihi affirmavit, omnes chartas ejusmodi eſſe, hac ſolum differentia, quod aliquarum papyrus firmior eſt, ac politior, aliarum fluxior, ac minus terſa. Humiditas certe multum nocet papyri firmitati, nitorique, quod in Sætabo exemplo facile obſervabis. In exemplis autem, quæ ad Te mitto, animadvertes, chartam Sætabam habuiſſe materiam lineam magis comminutam, ideoque melius conglutinatam. Spero Te, quod tuum ingenium eſt, aliqua experimenta facturum.

Nunc jam minime mirabere, quod ait Stephanus Terreros & Pando, ſive Andreas Marcus Burriel, in *Palæographia Hispana*, *pag.* 75. ſe vidiſſe Forum Judicum, quod ſibi videtur ſcriptum tempore Alfonſi ſapientis, cujus papyrum vocat, firmam, & politam: nam cum idem afferat, permanere epiſtolas Alphonſi x. (ſcilicet ſapientis) papyraceas; quis negabit eo tempore ſcriptos etiam libros in eadem materia? Dubitare videris in tuo programmate, quid ſignificet charta *bruñida*? Nimirum idem, ac polita, & nitida. Quam polituram nitoremque accipere poterat, ut nunc, vel a buxo lævigato,

gato, vel a vitro, vel ab alicujus animalis dente columellari, eam confricante, vel forte malleo contundebatur, ſic enim partes eminentiores comprimuntur, & inferiora vacua complent, & quo æqualior eſt charta, eò lævior, atque nitidior.

Illud explicandum eſt, quod ibidem ait laudatus Terreros, in aliquibus monumentis mentionem fieri papyri tum Toletanæ, tum alterius, quam vocat *Cebti*. Papyrus *Toletana* (loquor de papyro quæ fiebat ex eadem materia, ac hodierna) erat quæ fabricabatur Toleti, ut *Sætaba*, quæ Sætabi, & *Valentina*, quæ Valentiæ. Quænam vero diceretur *Cebti*, aut *Cepti* nunc expediam.

Pomponius Mela *Lib. I. cap.* 5. ubi Mauritaniam deſcripſit, ſic ait. *Ex iis tamen, quæ commemorare non piget, montes ſunt alti, qui continenter, & quaſi de induſtria in ordinem expoſiti, ob numerum, Septem, ob ſimilitudinem, Fratres vocantur.* Strabo *Lib. XVII. pag.* 569. alluſione fabuloſa. *A Linge in exterius mare navigantibus Civitas Zelis, & Tiga: hinc Septem fratrum monumenta, & imminens mons, multis feris, & magnis arboribus plenus, nomine Bala.* Plinius, *Lib. V. cap.* 2. Tingitaniam deſcribens, *Ipſa* (inquit) *Provincia ab oriente montoſa, fert elephantos.*

In Abila quoque monte, & quos ſeptem Fratres a ſimilitudine appellant: ii freto imminent juncti Abilæ. Plinii pediſſequus Golinus, *cap.* 25. ait. *E Provinciis Mauritanis Tingitana, qua Solſtitiali plagæ obvia eſt, quaque porrigitur ad internum mare, exſurgit montibus ſeptem: qui a ſimilitudine Fratres appellati, freto imminent.* Itinerarium Antonini deſcribens navigationem a Tingi uſque ad portus divinos, ita incipit. *Ad Septem Fratres M. P. LX.* Ptolemæus *Lib. IV. cap* 1. *Heptadelphi mons*, hoc eſt, mons ſeptem fratres. Beatus Iſidorus, *Etymol. Lib. XIV. cap.* 5. *Mauritania Tingitana a Tingi metropolitana hujus provinciæ civitate vocata. Hæc ultima Africæ exſurgit a montibus Septem habens ab oriente flumen Malvam: a ſeptentrione fretum Gaditanum: ab occiduo Oceanum Atlanticum: a meridie Gaulalum gentes uſque ad Oceanum Heſperium pererrantes.* Anonymus Ravennas *Lib. III. pag.* 769. etiam meminit Septem Fratrum. Sed quorſum tot teſtimonia præſertim cum ſcribam ad eruditiſſimum virum? Ea libenter congeſſi, quia nonnulla dicturus ſum, quæ ad ea alludunt.

Ibi oppidum conditum, de quo ſic Procopius *Hiſtoriæ Vandalicæ Lib. I. pag.* 4. *Ejus maris laterum, quod intranti dexterum eſt*

eſt Mæotidem ipſam usque Aſia dicitur: ubi Gades & alteram Herculis columnam prætervecto caſtellum apparet, quod indigenæ Septam vocant, Romana voce a ſeptem juxta ſe attollentibus tumulis. Et *Lib. II. pag.* 76. *Alium Johannem, ſuorum ſatellitum unum ire jubet Beliſarius ad Gaditanum fretum & Herculis columnarum alteram, Septam Caſtellum inde non longe occupaturum.* Iſidorus in *Chronico Gothorum* Era 569. *Septem* oppidum nominavit, & *Etymolog. Lib. XV. cap.* 1. *Septam.* Geographus Nubienſis, *Climatis quarti prima Parte*, *pag.* 149. ait. *E regione inſulæ Viridis in altera parte eſt urbs Sabta. Et latitudo maris inter Sabtam, & inſulam, eſt XVIII. M. P. inter inſulam vero Tarif, & arcem Masmudæ, XII. milliaribus mare protenditur. Hoc mare bis in ſingulis diebus, ac noctibus patitur fluxum, & refluxum, actione perpetua: ita diſponente potentiſſimo ſapientiſſimoque Deo. Verum urbes ad magni maris litora jacentes, & ſub iſta, quam propoſuimus, parte contentæ, ſunt Tangia, Sabta, Tocrur, Banuñozar, Vabaran, & Moſtaghanen. Et urbs quidem Sapta reſpicit, ut monuimus, Inſulam Viridem: & ejus ædificium, quod ſeptem vicinis collibus diſtinguitur, in longum porrigitur ab occaſu in orientem, ſpatio unius fere millia-*

ris. Johannes Conduith apud Emmanuelem Martinum, *Epiſtola* 12. *Lib. VII* teſtis oculatus ait, Septem colliculos adhuc clariſſime apparere. Habebat ea urbs Portum, quem ideo Iſidorus Pacenſis *Septitanum* vocavit Aera 780. & Rudericus Toletanus in *Hiſt. Arabum*, *cap*. 16. De quo intelligendus Paullus Warnefridus, qui *Lib. VI. de geſtis Langobardorum*, *cap*. 46. ita ſcripſit. *Eo tempore gens Sarracenorum in loco, qui Septem dicitur, ex Africa transfretantes univerſam Hispaniam invaſerunt*. Per fretum ſcilicet, quod Geographus Ravennas nominavit *Septe-Gaditanum*, *Lib. III. cap*. 11. & *Lib. IV. cap. ult. Septem-Gaditanum*.

His præmiſſis diſtinguam nunc ejusdem urbis varia nomina Hispana ſecundum varietatem permutandi litteras, a qua varietate orta adjectivorum diverſitas. *Septa* facili & frequenti permutatione P. in B. (nam P. carent Arabes) dicta fuit *Sebta*. B. facile convertitur in V. quemadmodum videre eſt in *debda*, *deuda*; *debdo*, *deudo*, & mille aliis: & S. in C. unde dicta *Cepta* in *Hiſtoria Generali Hispaniæ*, *Parte II. cap*. 55. *fol*. 200. & poſtea ſuavitatis gratia, *Ceuta*. Præclariſſimum teſtimonium eſt Alfonſi Palentiæ, qui in doctiſſimo Vocabulario v. *Septe*, ita ſcrip-

ſcripſit. *Septe Urbs quam nunc Septam dicimus. a ſeptem montibus nominata fuit. Gaditano imminet freto ex litore Africe. e regione reſpicit Calpen. qua in adverſo Europe littore adjacet freto.* Idem Palentia hæc ita tranſtulit. *Septe. la Çibdad que agora dizimos Septa Çebta fue primero nõbrada por ſiete montes eſta pueſta ſobre el eſtrecho gaditano a la parte de africa qua mira al reſtuentro de gibraltar qua es calpe pueſto tanbien ſobre el dicho eſtrecho a.la parte de europa qua mira a la Çibdad de ſepte o ſepta o Çebta.* Huc usque Palentia.

Ex ſupradictis aperte colligitur a *Septa* venire adjectivum *Septi*, & *Septil: a Sebta*, *Sebti: a Cepta*, *Cepti: a Ceuta*, *Ceuti*; & apud Luſitanos a *Ceita*, *Ceitil.* Comprobemus hoc obiter aliquibus teſtimoniis.

Doctor Emmanuel Barboſa in *Remiſſionibus doctorum ad Ordinationem Luſitanam* editis Oliſipone apud Michaëlem Rodriguez, anno 1732. poſt Remiſſiones ad tit. 21. libri IV. Ordinationis, agens de monetis cupreis, §. 18. ita ſcripſit. „ *Septil* ſe bateo no tempo, „ que el Rei D. Joanno o I. tomou Cepta „ a os Mouros, e dahi teve o nome de *Septil:* „ ſeis delles facem hum real de cobre, ja ſe „ naon uſa neſte Reino, tirando na villa de „ Guimarannes, aonde ſe compra, e vende

a linha por *Septis.* „ Hæc ad verbum ita Lati-
„ ne verti poſſunt. *Septilis* (id eſt nummus)
„ percuſus fuit tempore quo Rex dominus
„ Johannes primus eripuit Septam a Mauris,
„ & inde nomen habuit *Septilis.* Sex illorum
„ conficiunt Regalem cupreum. Jam non eſt
„ in uſu in hoc Regno, ſi excipias oppidum
„ Guimaranes, ubi emitur & venditur lignum
„ *ſeptilibus.* „ Hic animadvertendum eſt, Barboſam primo dixiſſe, *Septil*, numero ſingulari, poſtea *Septis*, numero plurali. *Septis* autem venit a ſingulari, *Septi*, exigente ita declinationum analogia. Eadem moneta a Luſitanis dicta fuit, *Seiti.* Teſtem habeo Emmanuelem Severim de Faria in *Notitiis Portugaliæ* editis *anno* 1665. Discurſu 4. §. 27. ubi agens de monetis Regis Johannis I. ita ſcripſit. „ Depois que veyo de tomar Ceita,
„ dicem alguns mandou lavrar os *Seitis*, a quem
„ deu eſte nome, en memoria do nome de
„ Ceita, que entano conquiſtara, ainda que
„ outros dizem que por valeren a ſexta parte
„ do real chamarano *Sextiis*, e corruptamente
„ *Seitis.* „ Hæc ita tranſtuli. *Poſteaquam venit* (Rex Johannes I.) *ab expugnatione Septæ, dicunt aliqui juſſiſſe excudi Seitis* (hujus nominis ſingularis numerus eſt *Seiti*) *quibus dedit hoc nomen in memoriam nominis Septæ,*

quam

quam tunc expugnavit. Quanquam alii dicunt vocatos fuiſſe Seitiis, quia valorem habebant ſextæ partis regalis. Prima nominis notatio videtur certior. Nam Regi Johanni in monetæ excuſione glorioſius erat ad Septam potius, quam ad valorem alludere. Confirmatur hoc auctoritate Cl. viri Ruderici da Cuña in *Hiſtoria Eccleſiaſtica Eccleſiæ Oliſiponenſis, Parte II cap. 2.* ubi loquens de eadem moneta, ita ſcripſit. *Ceitil mœda de cobre, que lavrou el Rei D. Joanno I. em memoria da cidade de Ceita, que tomou a os Mouros, ſeis fazem hum Real: continuarano em os lavrar os Reys ſeus ſucceſſores atè el Rei D. Sebaſtiano* Hoc eſt, *Ceitil, moneta cuprea, percuſit eam Rex Dominus Johannes I. in memoriam civitatis Septæ, quam expugnavit a Mauris. Sex conficiunt unum Regalem. Continuarunt eos excudere Reges ejus ſucceſſores usque ad Regem Dominum Sebaſtianum.* Idem atque da Cuña, repetit Franciscus de Sancta Maria, Eremita Auguſtinianus.

Valentini, & Caſtellani, urbem qua de loquimur, nominamus, *Ceuta*, & a *Ceuta* dicitur *Ceutil*, eadem moneta, ut videre eſt apud Didacum de Ahedo in *Topographia Argelii, cap. 29. pag. 24. col. 2.* ubi pro *Centil*, legi debet *Ceutil.* Valentini dicimus

E 5

Ceti, ut colligi poteſt ex Jacobi Roig *Lib. II. Conſiliorum fol.* 21. *col.* 2. ubi memorat *velluts cetins*, hoc eſt, *texta villoſa Septitana*, quæ in plurali dicuntur *cetins* a ſingulari *ceti*, eadem forma, qua *morabatins* a *morabati*; *vebins*, a *vebi*, & ſic alia.

Illuſtrantur hæc Sebaſtiani Covarrubiæ teſtimonio in *Theſauro linguæ Caſtellanæ*, *v. ceuti*, cujus hæc ſunt verba. *Ceuti moneda de Ceuta*, *limones Ceuties*, *cuia planta ſe trujo de Ceuta.* (*De Ceuta*, repeti debent hæc verba omiſſa) *Ceuti. El Broceŋſe dice eſtar corrompido de Septil*, *moneda*, *que ſiete dellas hacian un maravedi.* Hæc Covarrubias. Qua in re fallitur Brocenſis, ut ſupra vidimus. De limonibus *Ceutis*, hoc eſt, *Septitanis*, vide eundem Covarrubiam in v. limon, & Escolanum in *Hiſtoria Regni Valentiæ*, *Lib. IV. cap.* 3. *num.* 11.

Nunc jam clare apparet, papyrum, quæ dicebatur *Cebti*, non aliam eſſe, quam *Septitanam.* Equidem apud Ludovicum Marmoreum, *Lib. IV. Deſcriptionis Africæ*, *cap.* 50. ubi late, & erudite loquitur de Septa, legitur ibi fabricari perfectos tapetes, & pannos e lino & lana (obſerva *panni* generalem ſignificationem) omnium generum, & optima illius temporis. Non dubito igitur quin

pa-

papyrus *Sebti*, ſive *Septi*, hoc eſt, Septitana, præſtantior fuerit Toletana. An etiam Sætabâ, non facile conceſſerim. Atque hæc dixiſſe ſufficiat de chartæ lineæ, qua nunc utimur, antiquitate, & qualitate.

Deus Opt. Max. in omnibus rebus Tibi propitius ſit, ut enixe rogo. Olivæ.

NOBILISSIMO VIRO
GERARDO MEERMANNO,
SYNDICO ROTERODAMENSI
GREG. MAJANSIUS,
GENEROSUS VALENTINUS
S. D.

DE Chartæ lineæ antiquitate in Hispania fuſe ad Te ſcripſi, ſimulque miſi ſpecimen ejus, qua tabelliones uti ſolebant tempore Regis Alfonſi cognomento ſapientis, cujus videndi copiam mihi fecit cl. vir Ferdinandus Velaſſco, qui cum a me intellexerit, me ad Te miſiſſe dimidiatum folium quadruplicatæ chartæ, voluit ut alteram partem ad

Te mitterem, quam cum his litteris habebis. Nolim autem ab hoc exemplo Te judicium facere qualitatis chartæ illius temporis; nam tabelliones non ſolent uti optima, ſed communi.

Idem dico de ſpecimine Chartæ Sætabæ lineæ, quod a me accepiſti: nam ſi inſpicere volueris libros Valentiæ impreſſos primis illis annis, quibus Ars Typographica excerceri cœpit, animadvertes hujus Regni chartam lineam præſtantiſſimam fuiſſe, non modo ratione habita illius temporis, ſed etiam noſtri: ut videre eſt in Johannis Papiæ Comprehenſorio impreſſo Valentiæ anno 1475. in 4. chartæ majoris; & in fratris Franciſci Ximenii libro inſcripto, *Creſtia*, hoc eſt, *Christiano*, edito etiam Valentiæ anno 1484. in fol. chartæ majoris: quorum librorum charta linea eſt firmiſisſima, lævis, alba, & cum optima noſtri ævi comparanda.

Ne quid autem prætermittam, ſcito in Hiſpania etiam eſſe goſſipium: nam ego hoc ipſo anno plantas habui hominis ſtatura proceriores. Sed quis unquam laudavit Goſſipium in Hiſpania textum? Itaque charta ex hac materia nunquam hic fabricata eſt. Cura ut valeas Tibi, & Reipublicæ Litterariæ Olivæ III. Nonas Julius Anni MDCCLXII.

NO-

NOBILISSIMO VIRO

GERARDO MEERMANNO

SYNDICO ROTERODAMENSI,
LITERARUM STATORI,

GREG. MAJANSIUS,
GENEROSUS VALENTINUS.

S. D.

EX quo mihi ſignificaſti, petiiſſe Te ab aliquibus Hispanis, ut quæ de Chartæ lineæ antiquitate ſcirent, Tecum vellent communicare, exiſtimavi neminem eorum Tibi reſponſurum, etſi omnibus nota ſit doctrina Tua. Semper excipio Fineſtreſium noſtrum, qui pro ſua prudentia, & humanitate optime ſcit quantum obſequium debeatur litterarum propagatoribus, & Tibi præſertim, cujus favor omnibus doctis paratiſſimus eſt. Amicus tamen meus in tabulariis verſa-

tiſſimus, ad me miſit quatuor particulas antiquarum chartarum, quæ memoriæ cauſſa inſertæ erant antiquo libro Cancellariæ Alfonſi IV. Regis Aragonum, quæ foliola prælonga, & volantia, nominare ſolemus *regeſta.*

Primum igitur regeſtum eſt illud, in quo hæc leguntur. *Fue fecha empara* (id eſt, poſſeſſio) *en los derechos que ſon devidos a Don Ximen Perez de Pina en el monedage en quantia de quinientos ſueldos a inſtancia de Elſa muller que fue de Johan Cavalla marts X. dias entrada del mes d'abril.* Verba illa, *que ſon devidos*, id eſt, *quæ debentur*, præſens tempus indicant, & referuntur ad Eximinum Petri de Pina, cujus fit mentio in *Regiſtro Donationum Valentiæ*, ut videre eſt apud Emmanuelem Marianum Riberam in *Centuria prima Regii, & militaris inſtituti inclytæ Religionis Dominæ noſtræ de Mercede Redemtionis Captivorum Chriſtianorum, pag.* 166. Donationes autem illæ ſcriptæ in ejusdem generis charta, & cuſtoditæ in Tabulario Regio Barcinonenſi, incipiunt ab anno 1238. Poſtea Eximinus Petri de Pina deceſſit Moxentii in Regno Valentiæ, cujus mors valde diſplicuit Jacobo I. cognomento Expugnatori, uti refert nobilis Febrèr in præclaro opere Genealogico. Itaque obſervare poteris,

ris, cujusmodi eſſet Charta linea illius temporis. Fallitur igitur amicus meus, qui regeſtum hoc refert ad annum 1330. aut circiter. nam regeſtum hoc eſt antiquius libro, cui inſertum fuit.

Alterum regeſtum eſt illud, in quo hæc leguntur: *Explicit tractatus brevis & utilis ſuper pronoſtica editus a magiſtro Bernbardo de Gordonio in præclaro ſtudio montiſpeſulani anno domini* 1294. *in converſione ſancti Pauli editus fuit iſte tractatus.* Verbum *editus*, hic repetitum, ſignificat idem, ac finitum, & abſolutum. Bernhardus autem de Gordonio, medicus montispeſulanus obiit circa annum 1305. Itaque in hoc regeſto videbis cujusmodi eſſet Charta linea, qua Montispeſulani utebantur ſeculo XIII.

Tertium regeſtum eſt fragmentum rationum pertinentium ad diſtributiones in favorem canentium in Eccleſia, atque ita ſe habet.

Esta es la preſencia que me de . . . .
(In corrupta charta deeſſe videtur *ven*, hoc eſt, deven)
XVII. dias de marcio era de XCVII.

Ratio-

Ratio numerandi per Eram abrogata fuit Era 1421. id eſt, anno Chriſti 1383. Era igitur 97. fuit 1397. quæ reſpondet anno Chriſti 1339. cujus anni proculdubio eſt hoc regeſtum.

Quartum denique ſic habet: *Datis Dertuſſie* 2. *idus aprilis anno XXXII.* (*Datis Xative* 3. *nonas madii anno XXXII.*) *Datis Valentie X. Kal. Februarii anno XXX.* Amicus meus, qui nomen ſuum taceri vult, ait hoc adnotatum fuiſſe poſt annum 1300. quia foliolum hoc repertum fuit in libro Regiæ Cancellariæ Alfonſi IV. Regis Aragonum. Tu hæc omnia accurate perpendes, & in uſum tuum applicabis. Idem amicus meus, in Tabulario Eccleſiæ Toletanæ vidit quamplurimas chartas e lino ſcriptas tempore Sanctii cognomento Ferocis, & nominatim rationes originales ejusdem Regis. Sed mirum non eſt, cum hujusmodi Charta, ut ego exiſtimo, antiquior ſit. Judicium tuum, & juſſa etiam expecto. Vale, litterarum decus. Olivæ XIV. Cal. Auguſtas An. MDCCLXII.

VI-

VIRO DOCTISSIMO ATQUE CELEBERRIMO

GREGORIO MAJANSIO

S. P. D.

GERARDUS MEERMAN.

SUmmopere ſum delectatus elegantiſſima Tua multaque eruditione referta epiſtola de chartæ lineæ antiquitate in Hispania, luce profecto digniſſima. Argumentum ſane illud perquam ſpecioſum eſt, Setabæ quum telæ lineæ permultæ texerentur, quumque ibidem a longiſſimo tempore fabricaretur charta, hanc proinde veroſimiliter confectam fuiſſe ex reliquiis linteis. At ipſe ſentis V. Cl. in hac re non conjecturis ſed rerum teſtimoniis litandum. Quod ut facias, producis mihique mittis ſpecimen chartæ Setabenſis, qualis erat ſeculo XIV. extremo, vel certe XV. atque hæc certiſſime eſt linea. Verum noſti, deſiderare me antiquiorem. Addis igitur aliud ſpecimen a Viro doctiſſimo Ferdinando Velasco Tibi miſſum e charta, tempore Regis Alphonſi Sapientis, adeoque medio fere ſe-

culo XIII. confecta, ejusque generis eſſe doces omnes chartas illius temporis. Patere autem, Vir Doctiſſ. ut absque ulla hæſitatione pronunciem, hoc ſpecimen, quod ſemel iterumque ad me miſisti, Tuam ſententiam omnino evertere. Examinavi eam chartam, præſentibus tribus viris in arte peritis, invenimusque luci vel ſoli illam exponendo, integra fila cottonica in hac charta ſeſe prodere, extraximusque etiam ex illius ora ſeu extremitate, particulas lanæ ſive cottonæ manifeſtiſſimas. At in hoc experimento non acquievimus. Produxi librum Aſtronomicum in Perſia ſcriptum, ubi ſane agnosces, chartam lineam incognitam, cottonicam vero receptam eſſe, invenimusque papyrum hujus libri illi quam Velascus miſit, ſimillimam at paulo minus denſam. Et ne de rei veritate dubites, adjungo utriusque particulam, ut hanc ſibimet compares. Charta igitur Regis Alphonſi tempore frequentata erat goſſypina, ut & ego ex collatione Partitæ cum Lege Frederici Imp. conjeceram; imo difficile eſt, ut probetur, lineam chartam in Hispania repertam, quam ego ex magna Britannia vel regionibus Septentrionalibus potius derivarem, ſed in hanc rem ſubſidia aliquot adhuc exſpecto. Interim epiſtola Tua V. Cl. tantopere

pere erudita eſt, & tot res ſcitu dignas continet, ut etiamſi opinio tua erronea mihi videatur, lucem præprimis mereatur.

Hæc ſcripſeram, quum tradita mihi in prædio meo ſuburbano degenti eſt tertia tua epiſtola humaniſſima, una cum quatuor chartæ veteris ſpeciminibus, de queis verbo dicam, quod res eſt.

Num. 1. cui inſcripta ſunt verba: *Fue fecha* &c. non multum intereſſet, e quo chartæ genere ſit, ſiquidem Amicus tuus id fragmentum refert ad a. 1330. quando certum eſt ex iis, quæ docui, jam innotuiſſe chartam lineam. At quum illud ſoli expoſuerim, patuit mihi ejus ſpecies bombycina, ſed hæc perquam firma.

Num. 2. cui ſuperſcriptum: *Explicit tractatus brevis &c. editus a Bern. de Gordonio &c. a.* 1294. eſt ex charta linea. Sed cave credas, ſcripturam illam ejusdem eſſe anni, atque ita ipſius auctoris manum. Apographum eſt ad minimum ſesqui ſeculo recentius: ſcripturas enim ſimillimas ſec. xv. etiam vergente, vidi frequentiſſimas.

Num. 3. ubi verba occurrunt, *Eſta es la preſencia &c.* quod ad annum a N. C. 1319. refers, eſt ex peſſimo chartæ genere, ſed illo goſſypino.

Num. 4. ubi exſtant verba: *Dat. Dertuſſie &c.* quod Amicus tuus ſeculo XIV. accenſet, prima ſtatim inſpectio docet bombycinum eſſe.

Vides itaque V. Cl. originem chartæ lineæ in Hispania nondum exploratam eſſe, imo quum goſſypinæ uſus illic adhuc ſeculo quarto decimo duraverit, tam vetuſtam non videri; atque alibi forte locorum.

Vale, V. Cl. & res tuas ſemper age feliciter. Dab. Stadvici, in prædio meo prope Leidam d. 23 Septemb. 1762.

P. S. Hæ literæ ab amanuenſi meo jam deſcriptæ erant, quum in mentem venit, an non cultelli ope explorari poſſet chartæ bombycinæ genus, & particulæ cottonicæ inde avelli: nec infeliciter. Invenies igitur, chartæ a Cl. Velaſco tibi miſſæ ſpecimen multo clarius originem ſuam exprimere, quam ipſam Perſicam.

NOBILISSIMO, ET DOCTISSIMO VIRO

GERARDO MEERMANNO

PRIMARIO SYNDICO ROTERODAMENSI

GREG. MAJANSIUS,

GENEROSUS VALENTINUS

S. D.

MIhi vero ſufficit ſtudere Tibi placere, etiamſi in aliqua re a me diſſentias. Quare gratum mihi eſt Tibi fuiſſe oblectamento meam epiſtolam, in qua de Chartæ lineæ antiquitate tractavi, etiamſi non accedas ſententiæ meæ. Sed tamen mihi permittes, ut eam ego clarius exponam, atque iterum ſubmittam cenſuræ Tuæ. Vocabularius Silenſis Monaſterii, cujus meminit Berganza, ſcriptus fuit ante annum MXC. Habet is Chartas vitulinas, eisque alias permixtas, quas ille vocat papyraceas, (Hispane, *de papel*) craſſas quidem, ſed bene contuſas. Si Vocabularium illum Tu

ipſe videres, minime dubito, quin, quæ Tua ſollertia eſt, plane perſpiceres, cujus materiæ ſint chartæ illæ vitulinis permixtæ, num goſſypinæ, an lineæ, an vero bombycinæ. Nunc autem nobis abſentibus conjecturis agendum eſt. Charta illa dicitur eſſe craſſa, ſive corpulenta: non igitur videtur eſſe bombycina, quæ ſolet eſſe minus corporata. Eſt etiam bene contuſa, quod magis convenit Chartæ lineæ, quàm goſſypinæ, quæ contundendo fit mollior. Ego habeo *Vitam & Acta* Jeſu Chriſti auctore magiſtro Francisco Eximini, ſcripta poſt dimidium ſeculum decimum quartum anno ſcilicet 1367. isque liber partim exaratus eſt in membranis, partim in chartis lineis variarum officinarum, nam illarum ſigna ſunt diverſa; atque hæc Charta eſt, qualis a Berganza deſcribitur Vocabularii Monaſterii Silenſis, corpulenta ſcilicet, & bene contuſa. Hanc Chartam ſi non videres, fortaſſe diceres xylinam, ejus vero exemplum ad Te mitto, ut videas eſſe lineam, & pronior ſis ad credendum, huic ſimilem eſſe memorati Vocabularii, quæ admixta pergamenæ nullo modo deformis videatur, & bene cum ea conveniat. Circiter annum MCXX. Petrus Abbas Cluniacenſis Chartarum genera recenſens tam recentium, quàm

quàm antiquarum, enumeravit etiam; & quidem poſtremo loco *ex raſuris veterum pannorum conpactam*. Satis autem Tibi probavi, pannum ſignificare quamlibet telam; ſive laneam, ſive lineam, ſive bombycinam, et ſi in rem tuam ſit, adjunge, ſi placet, goſſypinam: dummodo de hac ſolum non intelligas Petrum Venerabilem.

Auctor Deſcriptionis Regiæ Academiæ Barcinonenſis bonarum litterarum, pag. 355. ait, ſe vidiſſe inſtrumentum ſcriptum in *charta communi* anno M. C. LXXVIII. Concordiam ſcilicet inter Alphonſum filium Principis Raimundi Berengarii, & Don Alphonſum IX. Regem Caſtellæ de dividendis terris bello adquirendis ejectis Mauris. Quænam, quæſo, Charta *communis* eſt, niſi linea? atque hoc ſcripſit, qui optime ſciebat, in nonnullis Chartis aliquando permixtum fuiſſe goſſypium cum lino. Donec contrarium igitur videamus, ei credere debemus.

Circa annum M. C. LI. Scherif Al Edriſi, Geographus Nubienſis, mentionem fecit Chartæ Sætabæ, vocans eam præſtantiſſimam, & incomparabilem. Num goſſypina eſſe poterat ejusmodi? Meo judicio non ita: ſed aut linea, aut Bombycina.

Cacim etiam Aben Hegi, qui de Hispania a Mauris expugnata ſcripſit, ut refert Escolanus in *Hiſtoria Regni Valentiæ*, *Lib. I. cap.* 8. atque etiam de *Urbis Cordubæ Regibus*; in hoc opere, teſte ipſomet Escolano, *Lib. IV. cap.* 3. *col.* 671. aſſeveravit ſuo tempore fabrefieri Sætabi Chartam albam perfectiſſimam, qualis nusquam terrarum eſſet. Illiusmodi Charta, ut talis eſſet, videtur eſſe debuiſſe aut linea, aut Bombycina.

Regeſta Regum Aragonum, incipientia ab expugnatione Regni Valentiæ, anno 1237. exarari cœpta, etiam ſcripta fuerunt in Charta, ut ego credo, linea, alioquin auctor deſcriptionis Academiæ Barcinonenſis, qui de antiquitate chartæ, qua nos utimur, loquitur, &·*pag.* 355. in confirmationem affert illa Regeſta, ſi omnino eſſent goſſypina, non dixiſſet, videri ſibi habere intermixtum aliquid goſſypii, quod ſolum ſuſpicatur ob albitudinem, & lævitatem, quæ æque locum habere poſſunt in charta linea.

Exemplum quod ad Te miſi chartæ lineæ exaratæ anno M. CCC. XXX. oculis Tuis vidiſti, quæſo mihi dicas, cur annis præcedentibus non poſſet eſſe ejusdem materiæ?

At

At inquies. Loquimur de re facti, non de poſſibili. Ego ajo, non loqui me de re ſolum poſſibili, ſed de probabili etiam. Probabilitem igitur meam cum ejus negatione compone: & vide quænam probabilior ſit. Ego aſſero poſt inventionem chartæ e raſuris telarum, chartam fabrefactam fuiſſe non ſolum ex particulis telarum goſſypinarum, ſed etiam linearum, & Bombycinarum, pro copia ſcilicet cujusque rei in officinis chartaceis, quæ copia proveniebat ex frequentiori uſu, & conſumtione telarum, quarum reliquiæ deſerviebant chartarum fabricationi. Crediderim igitur Sætabam, cujus antiquitas non dubitatur, tum ex telarum linearum, tum ex bombycinarum reliquiis, confectam fuiſſe; quia utræque uſitatiſſimæ erant in hoc Regno Valentiæ, ubi goſſypium minus frequens fuit; adde & plantam novitiam aliunde exportatam, uti docet Franciſcus Eximini, in præclaro opere *de Republica*, *cap. extremo*, quem librum ſcripſit Valentiæ anno M. CCC. LXXXIII. editusque poſtea fuit in eadem urbe ex officina Chriſtophori Cofman Germani, anno 1499. die 28 menſis Januarii.

Quapropter videor mihi nonnulla dixiſſe, quæ ſententiæ meæ de Chartæ lineæ majore

antiquitate, quàm quæ plerisque videtur, probabilitatem haud aſpernandam adſtruunt. Sed cum hæc quæſtio facti ſit, quemadmodum ego exſpecto, ut Regiis Tabulariis præpoſiti aliquando publice doceant quid ſentiendum ſit; ita Tu, Vir prudentiſſime, noli tuo præjudicio ſententiæ de antiquitate Chartæ lineæ probabilitatem negare.

Olivæ XVII. Cal. Decembr. MDCCLXII.

NOTITIA
FRANCISCI PEREZII
ECCLES. TOLETAN. THESAURARII TRANSMISSA PER
GREG. MAJANSIUM.

IN Reg. Eſcurialenſi Cod. Hebraïco nonnulla Ariſtotelis Opera èx Arabico Sermone translata continente ſignato inter Hebraïcos Codd. n. 35. leguntur quædam, quæ ex Hebraïco in Latinum idioma tranſlata ita ſonant:

Com-

Completæ ſunt interpretationes verborum Ariſtotelis de auditu Phyſico. cum adiutorio Dei; ſuccedunt poſt eas interpretationes textûs eiusdem de cælo & mundo; *Et tranſtuli eas ex Lingua Agarenica in Linguam Hebraïcam Ego Moſes Bar Semuel Bar Iebuda, memoria iuſti in benedictione ſit, Ben Thibùn è Granata Hispaniæ. Et completa eſt tranſlatio eius, ſic eſt, in menſe Tebeth anno quinquies milleſimo decimo à creatione mundi. Benedictus ſit Deus in æternum.*

Item in eod. Codice poſt Librum de *Generatione & Corruptione alia nonnulla, quæ ita ſum interpretatus:*

Completus eſt Liber: de Generatione & Corruptione. *Laus Deo ſuper cardines terræ fundatori. Ego Moſes Bar Semuel Bar Iebudah Ben Thibun è Granata in Hispania. Et complevi tranſlationem eius in vigeſima, in menſe Elul anno quinquies milleſimo decimo. Laus Deo.*

¶ Quæ in vulgari charta ex comminutis lineis pannis confecta ſcripta fuêre anno Chriſti M. CC. L. nam is annus Hebraeis eſt

à m...

à mundo condito quinquies milleſimus decimus. Videtur autem Codex in quo hæc habentur in Patria, certè in Hispania à R. Moſe Ben Thibùn ſcriptus, quemadmodum & Codices alii in eadem Escurialenſi Bibliothecâ ſuperſtites, qui locorum Hispaniæ nomina in quibus ab ipſo exarati fuerunt, præ ſe ferunt. Hæc autem charta, quamvis Hispanicas omnium antiquiſſimas ſub finem imperii Alfonſi x. *Sapientis*, & Sanctii eius filii initia, id eſt ab anno M. CC. LXXX. ad M. CC. X. C. exaratas, totis minimùm XXX. annis antiquitate ſuperet, terſior nihilominus, ſubactiorque & longe præ Hispanicis candidior eſt. Hinc autem pronum eſt coniicere chartæ ex piſtis lineis pannis confectæ uſum ſub ſæculi XIII. initia ex Africa, in qua è goſſipio fiebat, in Hispaniam noſtram invectum, in Meridionali eiusdem tractu qui Africæ obverſus eidemque proximior eſt, præcipuè verò Granatæ, quæ à Mauris Regibus tenebatur, primum conſtitiſſe, lino videlicet goſſipii, quo Hispani caremus, vicem ſupplente: indeque paulatim ad Christianos derivatum eſſe, qui proinde ſub artis initia rudiores chartas craſſioresque & ſubnigras, nec cum Africanis aut Hispano Granatenſibus comparandas nobis exhibuerunt.

AM-

AMPLISSIMO DOCTISSIMOQUE VIRO

GERARDO MEERMANNO,
REIP. ROTERODAM. SYNDICO

GREG. MAJANSIUS,
GENEROSUS VALENTINUS.

S. D.

NOlo pertinax videri: ſed tamen, quæ Tua humanitas eſt, patientèr feres, me qui in chartarum materia inquirenda Tuis experimentis facile aſſentior, facti rem confirmare Tibi. Specimen chartæ Tractatus Bernardi de Gordonio fateris eſſe materiæ lineæ. Dicitur ille ſcriptus anno M. CC. XCIV. Ais eſſe apographum: & quidem recentioris manus. Sed homo doctus, qui ad me miſit ſpecimen illud, poſtea quam reſponſum Tuum intellexit, aſſeveranter affirmat, nullo modo dubitandum eſſe, quin tractatus ille ſcriptus ſit eo anno: ſeque id optime ſcire. Nunc ad Te mitto alia duo ſpecimina, quæ examini Tuo ſubjicit idem amicus meus *Franciſcus Perezius.*

PRO

PRO ADSTRUENDA CHARTÆ LINEÆ ANTIQUITATE

IN Codice Chartaceo Toletanæ Eccleſiæ Plut. 22. num. 2. cui titulus eſt: *Claudio Ptolomeo Quadripartito. Centiloquio.* in extremo ipſius folio legitur hæc nota Anonymi:

„ NOTA. Conduxi domum Domini
„ Præpoſiti : : : : :
„ anno Domini MCCLXII. & fuit
„ hoc : : : : : :
„ ſecundi anni in menſe Januarii XI. die
„ exſeunte Januario. Et fuit terminus
„ annorum X. & debeo ſibi vel ſuo
„ Procuratori ſolidos XXXV. pro pen-
„ ſione. ſolidos XX. in paſcate reſurrec-
„ tionis Domini. & XV. in feſto Sanc-
„ torum omnium. & Sancius de Valle
„ fecit inde publicum inſtrumentum de
„ locatione.
„ Solvi pro penſione primi anni ſolidos XX.
„ Ramundo de Tamba VIII. die ex-
„ ſeunte Madio.
„ Item dedi in eodem anno XII. die ex-
„ ſeunte Novembre ſolidos XV. Ra-
„ mundo de Tamba.

„ Item

„ Item ſolvi Domino Præpoſito pro penſio-
„ ne domus anno Domini MCCLXIIII.
„ ſolidos xx. die vi. intrante Madio;
„ & fuit iſte annus ſecundus poſt con-
„ ductionem.
„ Item eodem anno ſecunda die exſeunte
„ Novembre ſolvi ſibi ſolidos xv.
„ Item anno Domini MCCLXV. ſolvi
„ Domino Præpoſito pro penſione do-
„ mus die v. intrante Madio ſolidos xx.
„ Item eodem anno circa finem tertia die
„ exſeunte Novembre ſolvit Ihovanni-
„ nus Præpoſito ſolidos xv.

NB. Manus ubique eadem eſt, quod vna ac perpetua characteris indoles ſuadet; temporis autem quo hæc ſcripta fuerunt ratio diverſa, pro annorum ſcilicet diverſitate, quibus ea in ephemeridas ſuas retulit ſcriptor; diverſa enim occurit in ſingulis §§. Stili acies atque atramenti color. Hinc autem & illud videtur confici, notam ſcil. de qua agimus autographam eſſe, iisdemque ipſis qui in ea deſignantur annis Chriſti MCCLXII. & ſeqq. Codici adſcriptam, id quod etiam characteris ipſius genius indicat; neque enim ſi ſcriptor aliquot poſtquam geſta hæc ſunt annis Codici memoriter adnotaſſet probabile eſt

rum menſium dierumque minutias usque adeo in promtu habiturum; aut ſi alicunde in codicem tranſcripſit, uno potius eoque non abrupto ſcriptionis tractu apographum abſolviſſet, quod minimè præſtitit. Vnum ergo inquirendum reſtat, ſitne charta, qua codex conſtat, e lino an potius è goſſipio facta, cui rei periculo proprio comprobandæ præciſam ex inferiori folii, in quo nota ſcripta eſt, margine tæniolam ſubiungere placuit.

In Codice Bibliothecæ Sanctæ Eccleſiæ Toletanæ cui titulus: Cuenta y gaſto del Rey Don Sancho, ſcilicet huius nominis Quarti, Alfonſi x. cognomento Sapientis filii, inter alia quæ certam præ ſe ferunt Eram Hiſpanicam ab Erâ MCCC. XXXI. quæ prima omnium occurrit in Codice, & deinceps Pluteo 21. n. 29. habentur:

„ Sanctii IV. Caſtellæ Regis litteræ
„ ad Regios per Diœceſin Toletanam
„ Iudices directæ vt Archiepiſcopus,
„ Decanus, Capitulum & clerus eiusdem
„ Eccleſiæ ac Diœceſeos pro
„ impenſis in bello contrâ Mauros
„ Granatenſes & Abeniacobum ſus-

„ cep-

„ cepto factis, & faciendis tamquam
„ pro communi Religionis ac Fidei
„ causſâ ſymbolam ſuam in pecuniâ
„ numeratâ conferant. Sunt autem ut
„ reliquum Codicis, Hiſpanico ſer-
„ mone ſcriptæ in Oppido Valliſoleti
„ (¶ Valladolid) iii de Marco Era de
„ MCCCXXXII. ſeu Chriſti anno MCCXCIV.

¶ Autographus item videtur Codex iſte, certè eius ætatis eſt, quam præ ſe fert, quod ex charactere atque vniverſa ipſius facie ſatis conſtat. Siſtimus præciſam è folio, in quo Sanctii Regis litteræ continentur, tæniolam experiundo ſcil. goſſipina ſit an linea.

EXCERPTUM
EX LITERIS
ANDREÆ COLTÉE DUCAREL
dat. Londini xx April. CIƆIƆCCLXII.

NActus ſum his diebus nec ſine voluptate legi *Admonitionem* Tuam *de Chartæ noſtratis ſeu lineæ Origine*: animus eſt mihi ea de re latius ad Te ſcribere; cum maxime

autem gravioribus obſtrictus ac diſtentus negotiis, ubi propius hanc examinavero materiem, operam navabo, ut primam chartæ lineæ in hoc magno Britanniæ regno, detegam introductionem; interea, Vir Nobiliſſime, illud Tibi indicare poſſum, antiquiſſimam id generis chartam, mihi huc usque viſam, eſſe anni CIↃCCLXXXII. cuius cuſtodia mihi, utpote Bibliothecæ Lambetanæ Subpræfecto, demandata eſt.

VIRO NOBILISSIMO

GERARDO MEERMANNO

S. D.

ANDREAS COLTÉE DUCAREL.

EX Epiſtola Tua, ipſis Kal. Febr. ad me data, lætus intellexi, Virorum Doctorum literas aliaque opuscula *de Origine Chartæ Lineæ* ad Te miſſa, propediem typis inpreſſum iri. Gratiſſimum mihi fuiſſet, Vir Cl. eam in rem Symbolam quandam conferre, eumque in finem varia iam collegeram ſpecilegia in argumentum futuræ Diſſertationis, in qua pro-

probandum ſuſceperam, in hoc Angliæ regno plura varii generis inveniri monumenta vetuſta, intra annos CIϽCCLXXXII. & CIϽCCCXLVII. chartæ lineæ inſcripta. Sed ecce cauſſam impedimenti. Septem octove abhinc menſibus omnem lapidem movi, ut invenirem, qui notam mihi characteriſticam, qua, tanquam certiſſimo argumento, charta Linea a Cottonica diſtingui poſſet, monſtraret; quapropter quosdam Amicos conſului, qui Societati, tum Regiæ Scientiarum, tum Antiquariorum adſciti ſunt, itemque Præfectos Muſæi Britannici, imo, ut verbo dicam, omnes eos, a quibus ſuppetias quasdam hac parte exſpectare potuiſſem; fruſtra. Quum nemo hic reperiatur, cui differitas chartam Lineam inter atque Cottonicam adeo ſit explorata, ut certi quid in hac re pronunciare auſit Hoc paucis memorandum fuit, ut perſuaſus ſis, Vir ill. absque huiusmodi notis & certiſſimis indiciis inter utrumque chartæ genus discriminis, inutilem prorſus in hoc argumento navari operam. dab. Londini XI. Febr. CIϽIϽCCLXIII.

VIRO NOBILISSIMO
ATQUE AMPLISSIMO

GERARDO MEERMANNO,

S. D.

HENR. CANNEGIETER.

LUbens conſilium Tuum ex Admonitione tua perſpexi. Vellem a me illud promoveri poſſit, ſed dubito fieri poſſe. Litteras admodum vetustas in civitatum Gelricarum & collegiorum Tabulariis adſervari ſcio; ſed erui inde poſſe ambigo. Videbo tamen, ſi qua ratione ſtudiis tuis inſervire queam. Si commodo tuo fiat, quæſo Te, Vir Ampliſſime, Admonitionis tuæ ſex ſeptemve exemplaria mittas, quæ cum nonnullis communicem, non tantum noſtratibus viris doctis, ſed & cum uno atque altero Bibliothecario in Germania, quocum mihi commercium literarium. Sunt enim in ea regione, qui queruntur parcius hoc tempore ad ſe adportari libros, in his oris editos. Quæ usque adhuc oculis uſur-

uſurpavi Diplomata, antiqua in his terris, in membranis ſcripta reperi, præter unum, quod eſt penes Baronem de Spaen, Curiæ Gelricæ Senatorem, ſcriptum in charta bombycina Wormaciæ anno CIƆLXXVII. meminerunt eius ſcriptores rerum Gelricarum Pontanus & Slichtenhorſtius, nec non Heda in Hiſtoria Epiſc. Ultraj. pag. 138. membranarum autem parabiliorem copiam hic fuiſſe puto ob numeroſos pecudum greges, qui per Gelriam paſcuntur. Vale dabam Arnhemiæ.

VIRO ILLUSTRI ET DOCTISSIMO

GERARDO MEERMANNO

S. D.

H. W. QUALENBRINK.

Occupato nuper in Tabulario Illuſtriſſimi Ordinis Equeſtris Teutonici S. Virginis Hieroſolymitanæ Diœceſeos Trajectinæ (vulgo *ter Balie Utrecht*) mecum communicavit Cl. Bonnettus *Admonitionem* Tuam Latino idiomate conſcriptam de Origine chartæ Lineæ his in terris uſitatæ: ex qua intellexi,

Te plures easque graviores ob cauſſas cupidum eſſe, cognoſcendi vetuſtiſſimos libros, Diplomata aliave eius generis monumenta, in eiusmodi charta exarata, ut ita quam proxime detegas, quo tempore, ubi locorum, atque etiam, ſi fieri poſſit, per quem hodierna charta Linea inventa fuerit.

Itaque mitto Tibi, Vir Ill. conſentiente Nobiliſſ. Caſio, domus Teutonicæ, quæ Trajecti eſt, Quæſtore Generali, ſub No. 1. veterem ſchedulam (*minute*) contractus conductionis in regione Gelrica in domo *Diederen* nunc *Dieren* conceptam ac ſcriptam in folio chartæ ex vetuſtis lini fragmentis confectæ, cui ſignum inditum *Libra*, ſine anno, ſigillo aut ſubſcriptione, in hac quippe ſchedula verborum formula ante fuerat concepta, quam in ipſum contractus inſtrumentum transferretur; attamen vero ante annum CIƆCCCLIII. conſcriptam fuiſſe oportet, quum aliud inſtrumentum ſigillo munitum Scabinorum Teutoburgenſium (*van Doſeborgh.*) ſub No. 2. anni CIƆCCCLIII. exſtet, unde adparet, Rabodum de Beyneme & Henricum eius filium, qui ambo in locationis inſtrumento memorantur, cum Præfecto Diederenſi atque communibus domus Diederenſis poſſeſſoribus dicto anno CIƆCCCLIII. in gratiam rediiſſe

(zyn

(*zyn vermoetſoent.*) Hinc uti etiam ex ſequentibus verbis dicti contractus colligere datur, Rabodum de Beyneme & Henricum eius filium cum Præfecto ac domo Dierenſi bellum inimicitiasque ſuscepiſſe ſuper locatione prædii Enghuſani; quod bellum quum anno CIↃCCCLIII. compoſitum ſit, neceſſario ſequitur, contractum locationis, cauſſam eius belli, tot annos ante reconciliationis inſtrumentum celebratum ac ſcriptum fuiſſe, quot bellum duraverit; quod quam diu duraverit, incertum eſt.

His accedit ſub No. 3. mutilum ac vetuſtum exemplar literarum iudicialium Judicis cuiusdam Arnhemienſis & tractus Velavienſis, anno CIↃCCCLXIX. die S. Paulli converſionis in charta Linea exaratum, cui aliud ſignum, *florem* referre videtur, inditum eſt; ex quo certe liquet, fratrem Emondum de Boekholt, qui in contractus inſtrumento ſub No. 1. *locator* memoratur, anno adhuc CIↃCCCLXIX. Præfectum domus Dierenſis fuiſſe: quod inſtrumentum ſub No. 3. forte quoque, ſi quis coniecturæ locus datur, anno CIↃCCCLXIX. conſcriptum videtur.

Inſuper invenio ſchedulam denunciationis, in fragmine veteris chartæ, duos fere digitos lato totidemque manus longo conſcriptæ, huius argumenti:

Weyt Her Commendeur van Dyderen, dat Ic Dideric van Enghuſen U Vyand wezen wil um des onregchts wil dat Ghi mi an mine Erfeniſſe doet en wil min ere daer mede verwaert hebben ic en mine knechte En ik Gyſebet van der Heut, Johan van Heker, Evert de Rode Willems Zone, Raelde van den Korenhorſt, Maes van Bruechuſen, Johan Stocke, Herman van Enghuſen Sweder Kalentiar Lubbert van Bruechuſen liever hebben Diederic van Enghuſen dan U en willen U vyant wezen, wy en alle onſe knechte, en daer mede wil wy onſe ere bewaert hebben.

Unde colligere licet, familiam Enghuſanam inter ac Præfectum domus Dierenſis bellum magnamque interceſſisſe contentionem de poſſesſione prædii Enghuſani; quod utique ante inimicitias cum Rabodo de Beyneme & Henrico eius filio, qui tantum uſuarii erant Præfecti Dierenſis, factum fuerit oportet, ita ut cogitare liceat, hanc ſchedulam cum ſeptem iſtiusmodi aliis chartæ lineæ iam ineunte ſeculo XIIII. aut ſub finem ſeculi XIII. ſcriptas eſſe, atque inde conficere, in Gelrica regione chartam lineam eo circiter tem-

tempore ſi non inventam, certe uſitatam fuiſſe. Trajecti ad Rhenum III. Decemb. CIↃIↃCCLXII.

JOHANNIS SAMUELIS HERINGEN

IN GYMNASIO REGIO STETTINENSI PROFESSORIS JURIS ORD

COGITATIONES

SALVO ALIORUM IUDICIO PROPOSITÆ SUPER QUÆSTIONE

Quo primum tempore hodierna Charta, quæ ex fragmentis lineis conficitur, inventa fuerit. Et quamdiu ea in Pomerania fuerit uſitata? (editæ Stettini cis Oderam CIↃIↃCCXXXVI.)

DOctæ obſervationes, quas Ill. Ludewigio in Diario Hallenſi (die Halliſchen Anzeiche) XIII. Febr. huius anni CIↃIↃCCXXXVI. Num. 7. de quæſtione: *quo tempore hodierna charta Linea fuerit inventa?* benigne cum publico communicare placuit, & pro quibus Celeberrimo huic Viro jure meritam gratiam

referre debemus, anſam mihi præbuerunt, in hanc rem maioris momenti paullo curatius inquirere, eaque occaſione cariſſimæ patriæ noſtræ Pomeraniæ rationem habere, in quantum huic rei ex hac Hiſtoria quidquam incrementi adferri poſſit.

1, Ac primo quidem aliis Eruditis Viris, quibus major hac parte peritia, inquirendum relinquo, an certum ſit, & quatenus veritati conveniat, quod quidam Docti voluerunt, uſum hodiernæ chartæ lineæ iam Euſtathii ætate, qui medio ſeculo XII. poſt Chriſtum natum Archiepiscopus Theſſalonicenſis claruit, Græcis non ignotum & uſitatum fuiſſe, uti illud *Hofmannus in Tom. II. Continuationis Lexici Univerſalis ſub voce Papyrus p. m.* 387. *b.* auctoritate Salmaſii & Voſſii inferre voluit; qua de re hæc eius ſunt verba: „ Artem illam chartarum ex Papyro conficiendarum Euſtathii iam ætate antiquatam „ fuiſſe, discimus ex eius Odyſſ. Φ. ubi „ ξυλοχάρτια h. e. lingneas chartas Græcis „ recentioribus adpellatas tradit *chartas e pa*- „ *pyro*, ad differentiam chartarum, *quæ ex* „ *linteis concerptis ac contuſis iam tum inter* „ *Græcos parari & in uſu eſſe cœperunt.* „ Papyrum autem lignum vocabant, unde „ ξυλοχάρτια chartæ ex papyro. Caſſiodorus „ de

„ de papyro: *ſurgit Nilotica Sylva, neſcio*
„ *qua vacuitate plena, plenitudine vacua,*
„ *bibula teneritudo, ſpongeum lignum.* Vid
„ Voſſius de arte Grammatica Lib. 1. c. 37.
„ Salmaſius ad Vopiscum in Firmo p. m. 709.

2. Quod ſi verum foret, maiori probabilitate exiſtimandum eſſet, artem hodiernæ chartæ conficiendæ ex Græcia in Italiam & in primis quidem Fabrianum derivatam eſſe, de cuius chartarum fabricatoribus Ill. Ludewigius notabilem locum ex doctiſſimo quondam Icto Bartolo & quidem ex libro eius de inſigniis & armis (ſupr. cit. in Admonit. Meerman. pag. 7.) ad partes citavit, ac ſimul probabiliter admodum demonſtravit, ſiquidem huius conſilio atque opera Academia Pragenſis fuerit fundata ſub Carolo IV. aliquot Chartarios Fabrianenſes ab ipſo inde Pragam evocatos fuiſſe, qui bonas chartas conficerent.

3. Num vero tum primum temporis charta in Germania fuerit fabrefacta, merito in dubium vocare licet, quum Boleſlaus Balbinus *in Miscellaneis Regni Bohemiæ Decad. I. Lib. I. cap.* 22. docet, in Archivis Pragenſibus Diplomata, quæ, uti evidenter patet, anni ſunt CIↃCCCXL. inveniri, atque ibidem quoque magnum molarum, in quibus charta

fabricata eſt, numerum commemorat, & ſimul addit, plurimum Boëmicæ chartæ in Hollandiam fuiſſe inde exportari ſolitum, ubi ea iterum molebatur ac reddebatur adhuc terſior.

4. Admodum itaque vero videtur ſimillimum, iam ante annum cIↃccc. hodiernam chartam in Germania fuiſſe confectam & diu forte ante annum cIↃccc. præſtantiſſimam hanc artem, quæ maximam certe univerſo terrarum orbi utilitatem adtulit, & quo beneficio eius inventor omnem poſteritatem ſibi devinctam habet, ſive ex Boëmia ſeu Italia in noſtram Pomeraniam, divino favente Numine, translatam fuiſſe.

5. Memini, me in Principis Volgaſtiæ tabulario aliquando videre vetuſtum admodum in charta exaratum exemplar contractus emtionis, celebrati anno poſt C. N. cIↃccccxcIII. die Mercurii poſt Catharinæ feſtum S. Virginum. Ubi in fine hæc verba exſtant:

„ Auſcultata & collata eſt præſens hæc
„ copia per me Petrum Lubbecum Cle-
„ ricum Caminenſis Diœceſeos, pu-
„ blicum Imperiali autoritate Notarium,
„ & concordat cum vero ſuo originali
„ de verbo ad verbum quod atteſtor
„ manu mea propria.

Quod

Quod exemplum iuxta omnem probabilitatem & rerum circumſtantias haud ita multo tempore poſt ipſum contractus inſtrumentum conſcriptum videri poteſt. Eſt autem in firmiſſima & perquam durabili papyro, quæ nunc iam ccxl. annorum eſt, obſcuris valde litteris Monachorum more exaratum, & memoratur in illo inſtrumento emptio domus cuiusdam ac prædii. In veteri hac charta, quæ fere duorum & dimidii ſeculi eſt, obſervavi, ſignum longitudinis unius digiti referre Epiſcopalem pileum, in extremo pilei cacumine figura erat ſtellæ, proxime ſub ea ſignum erat crucis, in utraque parte tres erant rotundi globuli conſpiciendi, qui totidem gemmas indicaſſe videntur, in medio pilei Epiſcopalis rurſus ſignum inſtar crucis adparebat, quæ duas ſimiles ex utraque parte ſibi proxime haberet, paullo inferius ſupra cavitatem, quæ caput tegit, erant quinque rotundi globuli ſeu gemmæ, ſupra quas linea ducta erat paullulum incurvata, in eaque ſeptem huiusmodi ſigna V. ſibi invicem coniuncta conſpiciebantur, in quorum quarto ſive adcurate in medio pilei Epiſcopalis rotundus globulus ſeu margarita erat collocata, ſupra quam parvum punctum erat poſitum, uti in hac tabula clare illa exhibentur.

U...



6. Hæc charta Pomeranica fere ccxl. annorum ætatem ſuperans, quæ procul dubio Camminenſis Epiſcopi pileum referre videtur, clariſſime nobis probat, iamdiu hodiernam chartam, quæ ex contritis Lini pannis conficitur, in uſu fuiſſe, uti quoque meis oculis duo adhuc originalia Diplomata in charta exarata uſurpavi, alterum cuiusdam Regis a. cıↄccccxl. Lubecæ datum, alterum, quod ſcriptum complectebatur anni cıↄccccxxxix. ad illum Regem. Sed lubet periculum facere, an forte veſtigia indagare queam, unde, certe probabiliter, demonſtrari poterit, iam medio ſeculo xiii. tempore magni Interregni, aut ſub finem ſeculi xiii. hodiernam chartam in Pomerania noſtra in uſu fuiſſe; quod hac argumentatione perficiendum puto; ſcilicet:

Quod ſi hoc & ſequenti ſeculo Pomeraniæ Principes iam Proto-Notarios, Advocatos curiæ & Notarios curiæ, it. ſcriptores habuerint, omni probabilitate inde ſequitur, iam tum quoque temporis uſum hodiernæ chartæ invaluiſſe apud illos.

Poſterius membrum plauſibile inde ac vero ſimile reddo, ſiquidem Principes Pomerani per ſuos Conſiliarios, Proto-Notarios &

Notarios Curiæ, it. ſcriptores non tantum τὴν συμμετρίαν ſive literarium commercium cum aliis Aulis exercere potuerint, niſi & iudicialia Protocolla atque decreta, ſententias, teſtium examinationes & eiusmodi alia rite expediverint, aut per ſuos Aulæ Advocatos iudicialia enunciata ad Protocollum aliasve ſcriptuarias propoſitiones fieri curaverint; quum itaque tanta actuum Iudicialium & extraiudicialium copia haud facile patitur, ut credamus, ea omnia in ſolis membranis aut Pergamenis comprehendi potuiſſe, quippe quod nimis ſumtuoſum, nimis tardum ac difficile futurum fuiſſet, in primis quum crebro etiam privati atque interdum homines pauperes querelas ſuas, ſupplicata & memorialia ad Principale Iudicium per literas offerre debuiſſe videntur.

Nunc autem prius membrum luce meridiana clarius ex hiſtoria Pomeranica, & antiquiſſimis Diplomatibus, fide digniſſimis, hoc modo probare adnitar:

(a) Notum eſt, Barvotenſes ſeculo iam XIII. iurisdictionem urbanam Stettini Sculteтos adminiſtraſſe, & in Diplomate Barnimi I. dato Stettini an. CIƆCCLXIII. IV. Calendar. Auguſt. quod meæ *Enarra-*

rationi Hiſtoricæ de templis S. Mariæ & S. Ottonis in fine ſub Num. I. eſt additum, expreſſe nominatur: *Henricus Barvot Scultetus.*

(b) Huius iterum fit mentio in Diplomate dato Viritii (Griefnagen ſive Greiffenhagen) a. CIↃCCLXI. XIIII. Cal. Mai. ſub Num. II. quod per manum Arnoldi conpoſitum eſt.

(c) In Diplomate Ducis Barnimi I. dat. a. CIↃCCLXVI. prid. Januar. ſub. Num. VI. in citato libro expreſſis verbis nominatur: *Wittekin Advocatus noſter Stettini.* item. *Arnoldus Curiæ noſtræ Notarius.*

(d) In Diplomate Johannis, Ottonis & Conradi Marchionum Brandenburgenſium, dato Gyrswaldæ a. MCCLXIX. mentio fit *Notarii Franconis.*

(e) In Diplomate Barnimi I. dato Stettini anno Chriſti CIↃCCLXXVIII. nominatur *Rudolphus de Bebekow Advocatus*, & *Magiſter Rudolphus noſter Notarius.*

(f) In Diplomate Bogislai Ducis Sclavorum dato Stettini an. CIↃCCLXXXIII. VII. Cal. Junii ſub Num. VIII. in citato libro memoratur *Bernardus noſter Capellanus & Notarius.*

(g) In Diplomate Hermanni Camminenſis Episcopi dat. Pyrethii (Pyritz) anno CIƆCCLXXXVI. ſub Num. IX. in cit. lib. mentio fit *Hilbrandi Notarii noſtri.*

(h) In Diplomate Ducis Bogislai, dato Stettini, anno CIƆCCLXXXIX. Calend. Martii ſub Num. III. in cit. lib. expreſſe nominatur *Henricus Juſtus Advocatus & Tydemannus de Anſlym Magiſter Camerarius.*

(i) In Diplomate Ottonis Ducis Sclavorum & Caſſubiæ dato Stettini anno CIƆCCLXXXXVIII. III. Kal. April. ſub Num. VI. in cit. lib. nominatur *Heinricus Scultetus Stettinenſis*, it. *Gotfridus ſcriptor.* In fine autem Diplomatis hæc leguntur verba in apographo chartaceo: *Auſcultata & fideliter reviſa eſt hæc præſens copia, quæ cum vero ſuo ſigillato originali de verbo ad verbum veriſſime & rectiſſime concordat. Ego Laurentzius Scheybe, ſacra Apoſtolica autoritate Notarius Publicus, ad omnia præmiſſa legitime requiſitus, proteſtor hæc manu mea propria.*

(k) In Diplomate Ducis Barnimi III. ſuper inſtauratione & Confirmatione Bonorum S. Ottonis dato Stettini an-

anno cIↄccccxxxxvi. feria tertia intra octavas Sancti Ottonis ſub Num. x. in cit. lib. nominatur *Albertus Prior noſter Proto-Notarius.*

(l) In Confirmatione duorum Principum Pomeraniæ Schvvantebori & Bogislai ſuper omnia bona Eccleſiæ S. Mariæ Stettini, data Stettini a. cIↄccccLxxiii. in die Aſcenſionis Domini noſtri Jeſu Chriſti ſub Num. xii. in cit. lib. nominatur *Henningius de Schwerin. Advocatus noſter in Uckermündis. Henricus Watow. Advocatus noſter ultra Oderam. Arnoldus Malchow. Proto-Notarius noſter.*

In fine apographi huius Diplomatis, uti in Codice donationum Divæ Mariæ in charta ſcripto invenire licet, ſequentia exſtant verba. *Quod præſens auſcultata copia cum vero ſuo authentico Originali ſub ſigillis Principum ſupra nominatorum de verbo ad verbum concordat, Ego Martinus Rhode ſacra imperiali autoritate publicus Notarius in bonam fidem & teſtimonium mea manu propria ſubſcripſi.* Ex demonſtratis itaque rerum circumſtantiis vero ſimillimum eſt, iam ſeculo xiii. & xiiii. uſum hodiernæ Chartæ Lineæ in Pomerania cogni-

tum & uſitatum fuiſſe, neque igitur Melchior Incoferus perperam arbitratus fuit, quando in literis, quas ad Leonem Allatium ſcripſit, quæque Animadverſionibus eius ad Etruſcas Antiquitates insertæ ſunt pag. 94. dicit: *Charta noſtra centeſimum ab his luſtrum vix numerat.* nec ſcio, an Dempſteri opinio hac de re in Commentario ad Inſt. Lib. II. Tit. I. §. 33. omnino ſit reiicienda, qui tradit, papyrum, quæ ex piſtis filis ſive lineis fragmentis conficitur, brevi ante tempora Accurſii, inventam eſſe. atqui Accurſius, teſte Gravina de Originibus iuris Civ. §. 155. p. m. 185. anno CIƆCCXXIX. diem obiit ſupremum, annos natus LXXVIII. adeoque annus eius natalis incidit in annum CIƆCLI. cum ergo huic conferatur Salmaſii & Voſſii opinio ſupra §. I. memorata, quod nimirum Euſtathii ætate, qui medio ſeculo XII. Archiepiscopus Theſſalonicenſis floruerit, uſus chartæ ex papyro ſeu ligno ſit abrogatus, & eius loco apud Græcos charta ex detritis & contuſis fragmentis lineis ſit introducta Vid. Hoffmannus in Lexico Univerſali in ſupra allegato loco, Dempſteri aſſertum quodam modo adcurate cum memorata inventæ chartæ hodiernæ Epocha conſpirat.

7. In

7. In Annalibus Francorum Victoriani Mſtis anni Chriſti cIↃcviii. hæc dicuntur exſtare verba: *Hoc tempore facta eſt* Charta Charitatis *a. S. Stephano Ciſtercienſi Abbate & aliis xx. Abbatibus, autoritate ſigilli Apoſtolici confirmata. Sic dicta eſt prima Ciſtercienſis Monaſterii Inſtitutio, quod Caritatem undequaque ſaperent illius Decreta, ut ait Clemens IV. vel ut Calixtus II. quod omnium tam Abbatum & Monachorum (eiusdem Ordinis) quam Episcoporum, in quorum Parochiis prima illorum Monaſteria conſtituta fuerant, conſenſu ac deliberatione communi* ac mutua caritate *ſancita fuerint*. Vid. Carolus du Fresne in Gloſſario. Quum itaque cum tot centenis imo millibus Fratrum Societatis Ciſtercienſis Ordinis, qui hanc *Chartam Charitatis* tanquam cimelium quoddam venerati fuerint, ſine dubio ex Originali *Chartæ Charitatis* inſtrumento, apographa communicata fuerint oportet, ut decreta primæ ac originariæ inſtitutionis ſuæ, quæ perquam communem charitatem ſuadebant, probe perciperent, animoque inbiberent, non poteſt non eſſe vero ſimile, hæc apographa ipſis in charta, quæ ex filis vetuſtis linteis fabricata eſt, ſeculo xii. & xiii. data eſſe, partim quum Typographia longo de-

mum tempore poſt inventa fuit, partim, quum nimium ſumtuoſum, tardum ac difficile admodum futurum fuiſſet, in Pergamenis aut Membranis Apographa illa cum centenis imo millibus hominum eius Ordinis communicare. Et cur tandem ſine cauſſa a propria & nativa ſignificatione vocis *Chartæ* absque neceſſitate deflexiſſent, atque ea promiſcue membranas & Pergamenas comprehendiſſent, quum iam ſupra ſub No. 1. & 2. & 6. auctoritate. Doctiſſimorum virorum probatum ſit, confectionem Chartæ linteæ iam ſeculo poſt C. N. XII. non tantum non ignotam, ſed & uſitatam fuiſſe? imo admodum videtur probabile ex Græcia in Italiam uſum eius derivatum fuiſſe, atque inde iam a multis retro ſeculis in Germaniam, Galliam, Hiſpaniam, Hollandiam & Angliam transferri potuiſſe; unde & Anglis nota eſt *Magna Charta*, ſacrum illud Diploma anno IX. Henrici III. quo Regni Angliæ libertates (multo ſanguine & bello funeſtiſſimo partæ) confirmantur. Vid. Henric. Spelmann. in Gloſſario Archæolog. ex quo Autographo dubitandum non eſt, quin multa Anglorum millia exemplar acceperint.

8. Quoniam autem Pomeranicus Dux Bogiſlaus X. anno CIϽCCCCXCVI. ex Palæſtina per

per Græciam & Italiam in Pomeraniam redierit, atque ex Italia celebrem Ictum Petrum de Ravenna Profeſſorem Juris in Academiam Gryphiswaldenſem evocaverit. Conf. *Discurſus meus hiſtorico Juridicus de Origine, natura & Jure feudorum Pomeranicorum. edit.* Gryphiswaldiæ anno 1711. §. 21. (hoc Compendium Juris Mſtum mihi Celeb. Hiſtoricus Burchardus Gotthelff Struvius anno 1703. in Academia Jenenſi indicaverat) veroſimile eſt, opera ducis Bogiſlai x. & Icti Petri de Ravenna quosdam optimorum & peritiſſimorum chartariorum Fabriano in Pomeraniam excitatos eſſe, qui artem conficiendæ chartæ, licet jam antea illic cognitam, eo melius excolerent eamque, quo plures emtores allicerent, in floridiorem ſtatum perducerent; ſcribit enim Angelus Rocha in Libro *de Papali Romana Bibliotheca* pag. 382. (teſte Zeidlero in Epiſt. 36. Cent. 3. p. m. 267.) *Italas chartarum molas ceteris omnibus ſolere præponi, & Fabriani cuncta chartæ genera atque optima in primis autem chartam* Papalem, Imperialem & Regiam, *uti vocant, in hac tantum urbe confectam fuiſſe, at minorem chartam Foligni fabricatam cunctas alias bonitate præſtare, licet alioquin charta Lugdunenſis magni ſoleat æſtimari &c.*

9. Quum autem Hoffmannus in Lexico Univerſali ſub voce *Baſilea* teſtatur, Michaëlem & Antonium Galliciones anno demum CIↃCCCCLXX. artem chartæ ex detritis lini pannis conficiendæ Baſileam adtuliſſe, ſcrupulum mihi movet, cur non nobilis hæc ars dudum ante ex Italia & Fabriano, quæ multo propior Helvetiæ adiacet, quam Hiſpania ſive Gallicia, Baſileam fuerit perducta, quam quod anno demum CIↃCCCCLXX. ea ex Gallicia illuc fuerit translata, unde & Ill. Ludewigius hanc Mylii obſervationem *in Horto Philoſophico ſub voce Papyrus*, utpote infirmo argumento innixam, ſine criſi non prætermittendam cenſuit, cum ipſe primus Archivarius teſtimoniis ex Magdeburgico Tabulario teſtetur, iam Caroli IV. temporibus anno CIↃCCCL. certiſſima monumenta chartæ lineæ inſcripta inveniri.

10. Quum ergo ſupra probabiliter oſtendi iam ſec. XIII. & XIV. chartam, quæ ex vetuſtis lini fragmentis conficitur, in Pomerania uſitatam fuiſſe debere, nolo tamen cuiquam hanc opinionem obtrudere, multo minus alios, qui aliter de hac re ſentiunt, refutare, ſed potius omnes Hiſtoriæ Pomeranicæ amatores quam amice rogatos volo, ut ſi quæ monumenta Pomeranica aut Marcomannica ſec. XIII. & XIV. in

in charta exarata ipſis innotuerint, ea luci publicæ exponere non recuſent. Stettini d. xviii. Mai cIↃIↃCCXXXVI.

Poſtremo hic corollarii loco addere lubet epiſtolam, quam Chartarius molæ Regiæ Hohenkrugenſis, C. W. Münch, xxi April. huius anni mihi ſcripſit, quæ ita ſeſe habet.

Ut deſiderio tuo faciam ſatis, Vir Reverende & Nobiliſſime, his ſuper argumento inventionis Chartæ lineæ, quantum ad meam pervenerit notitiam, reſpondeo:

1. *Quisnam primus chartæ Lineæ inventor exſtiterit, iuxta ſcio cum ignariſſimis; nec facile crediderim, quemquam noſtratium fore, qui nomen eius & domicilium aut ubi terrarum commoratus fuerit, certo ſignificare poſſit.*

2. *Fuit autem hoc modo inventa (licet forſan breviori via alio modo ea inveniri potuiſſet) in eo tamen omnes ubivis gentium antiqui ac periti chartarum fabricatores conſentiunt, quod a Romano quodam Clerico primo inventam fuiſſe narrent: qui poſteaquam cum fratribus ſuis inimicitias ſuſcepiſſet, & tædio confectus in cellulam ſuam deſcendiſſet; caſu neſcio quo fragmen aliquod lini dentibus ſuis omnino comminuerit & maceraverit; dein animi ægritudine neſcius quid faceret, comminutam hanc ma-*

materiem parieti adfixerit, eamque tenuatam quum poſt aliquot dies forte offenderet, videbat aridam eſſe & chartæ referre ſpeciem: ungue pollicis itaque eam lævigat, & periculum facit, an atramentum patiatur; ubi illud ſucceſſu non caruiſſet, in eo maxime intentus eſt, numquid excogitari poſſit, quo minus in poſterum plumbum & cera ad ſcribendum foret adeo neceſſaria. Sumit itaque linum & in fruſta ſecat, dein in maiori mortario tamdiu aqua pinſit, donec omnino maceratum pulti fieret ſimillimum, tandem materiam eam in tabula linit atque adtenuat & ſiccatam mallei pulſu, ſive quod credibilius, ligneo aſſere, eam lævigatam reddit. Quum ergo comperiat, bonam chartam eſſe, ac pinſendo materiem poſſe comminui, eum in finem omnes intendit nervos, ut machinam quam inveniat, quæ vi aquarum moveatur, quæ tamen cum hodiernis molis nil quidquam ſimile habuerit. Et ſiquidem forte ea in regione folia arboris Papyri (*) *fuerint in ſcribendo uſitatiſſima, inde quoque nomen retinuit, ubinam vero aut quando illud acciderit, nobis ignotum eſt.*

3. *Quo ſeculo & anno in Pomerania noſtra prima charta fuerit confecta, indicare non poſ-*

(*) Vid. Pancirollus *de reb. noviter repertis* Tit. XIII. & Melchior Guilandinus in Doctiſſimo Tractatu *de Papyro.*

poſſum, *neque ea de re quidquam aliud mihi innotuit*, *niſi quod*

4. *Anno* CIↃIↃ. *prope Stolpiam in Pomerania Citeriore abavus meus* (*natione Suevus*, *qui Salisburgi artem edoctus fuerat*) *eo tempore habitaverit*, *fuit tamen iam antea ibidem* (*Stolpiæ nimirum*) *charta fabricata. Poſt illum avus meus*, *dictus* Andreas Piraſt *anno* CIↃIↃCXLVIII. *ibidem artem illam exercuit*, *qui Freyburgo in Saxonia oriundus erat: quænam vero antiquiſſima ſit in Pomerania mola*, *ignoro*, *utrum Stepenitenſis an vero Stolpiana; ceterum anno* CIↃIↃCXCVIII. *non procul hinc antiqua mola fuit*, *quæ tamen eo quoque tempore deſtructa eſt; quæ quamdiu ſteterit*, *ſcire nequeo. Sed hæc ſufficiant* &c.

Hohen-Krug. d. XXI. April CIↃIↃCCXXXVI.

C. W. Münch.

JOH


JOH. SAM. HERINGEN

APPENDIX. SIVE. PROBATIO. QVA COGITATIONES

ANTEHAC. PVBLICATÆ. DE. VSV. CHARTÆ LINEÆ. STABILIVNTVR. ET. ADSTRVVNTVR

POſtquam Cogitationes meas de inventione chartæ lineæ eiusque uſu in Pomerania in lucem protruſeram, fautor quidam meus & amicus eximius mecum communicavit antiquiſſimum exemplar apographum Confirmationis cuiusdam Camminenſis Episcopi, Henrici de Wacholt *d. Anno* CIƆCCCXV. *Dominica Oculi*, de donatione quapiam, quæ ab Epiſcopo Hermanno iam anno CIƆCCLXXXIX. Abbatiſſæ & Virginum Sacrarum Conventui Coslinenſi fuerat facta. Quod vero antiquiſſimum hoc exemplar brevi poſt ipſum Henrici autographum a Monachis conſcriptum ſit, liquido ſatis adparet ex priſca ſcribendi forma, quæ ſeculo XIII. & XIV. convenit; patet quoque ex ſigno chartæ, quod inſigne gentis Episcopi Henrici de Wacholt, oſtendit & ex ſigno Crucis, quod Episcopatum indicat, uti in hac figura exhibentur.

Quan-



Quandoquidem vero, teſte Micrælio P. II. L. 3. p. m. 413. edit. novæ num. 19. Henricus de Wacholt x. Camminenſis Episcopus a. CIↃCCXCIX. creatus fuerit, circa eum error admiſſus eſt in *Lexico Nobilium*, quum ibi annus CIↃCCCIV. ipſi adſcribatur: & ſicuti album tauri caput in cæruleo ſcuto ei adtribuitur, Vid. Micrælius l. c. p. 484. ita & hæc figura *caput tauri* oſtendit, & ſupra caput intra cornua oblongam lancem, in cuius apice ſignum Crucis eſt poſitum; unde nil aliud conficere licet, niſi quod hæc figura chartæ inpreſſa Episcopi Henrici de Wacholt inſigne gentis, ſignum Crucis autem Episcopatum referre videatur. Quum itaque huic Episcopo Henrico de Wacholt anno CIↃCCCXVII. mortuo Conradus IV. eodem anno ſuffectus fuerit, (Vid. M. Michaëlis Zülichii *Hiſtor. Episcop. Cammin.* §. 13. & 14. nam a veritatis tramite deflectit B. Micrælius, quando ſcribit Conradum IV. anno demum CIↃCCCXXIX. ipſi ſucceſſisſe) admodum credibile eſt, intermedio temporis ſpatio ab anno CIↃCCCXV. usque CIↃCCCXVII. antiquum huius inſtrumenti apographum charta Episcopali, in qua inſigne Henrici de Wacholt inditum, conſcriptum, chartamque tempore Episcopi Henrici confectam fuiſſe: ac per conſequens hæc charta Pomera-

ra-

ranica annos iam quadringentos ſuperat. licet autem dura videatur ac firma, diuturnitate tamen temporis primum tegumenti folium, in quo præcipue dictum ſignum, uti & in reliquis foliis, clariſſime adparet, paſſim perforatum ſciſſumque eſt, & primum etiam atque ultimum folium multas ex ligno maculas contraxit; interiora autem folia nitida omnia & optime ſunt conſervata. Quod ſi iam in Pragenſis Tabularii laudem dici queat, in eo adſervari monumenta chartæ lineæ inſcripta an. CIↃCCCXL. noſtra Pomerania gloriari iure poterit, in ea inveniri chartam lineam, quæ certiſſime inter annum CIↃCCCXV. & CIↃCCCXVII. exarata eſt; & forte poſterior ætas plures eiusmodi in lucem protrahet. Si in Magdeburgicis Archivis inveniantur monumenta chartacea anni CIↃCCCL. temporis Caroli VI. in Pomerania noſtra longe exſtat inſtrumentum vetuſtius, & eorum temporum, quibus Fridericus Auſtriacus & Ludovicus Bavarus inter ſe de poteſtate & dignitate Imperiali contenderent; ſi quis Baſileam laudaverit, quod Antonius & Michaëlis Galliciones anno CIↃCCCCLXX. primum nobilem hanc chartæ fabricandæ artem illuc adtulerint; maiori jure noſtra Pomerania gaudebit, chartam hac in regione iam ante con-

I ſec-

fectam eſſe, quam tres Helvetiæ pagi (*Cantones* vocant) Uri, Switz & Underwalden ix. Decembr. CIƆCCCXV. Brunnam convenerunt, & fedus, quod ad certum tempus inter ipſos initum fuerat, perpetuaverunt. Juxta hinc quoque adparet, Melchiorem Incoſerum (Vid. §. 6. Cogitationum mearum pag. 116.) rectiſſime judicaſſe, quando tradit, *chartam noſtram centeſimum Luſtrum vix numerare*. Et meum quoque magis adhuc confirmatur argumentum, quo ſupra §. 6. probabiliter demonſtravi, iam ſeculo XIII. & XIV. in Pomerania uſum chartæ lineæ ſatis cognitum fuiſſe. Licet ſane videam, nihil certi ex eo argumento confici poſſe, neque eum in finem a me propoſitum eſt, rem tamen admodum reddit veroſimilem, utique ſi cetera argumenta adminicula, quæ ante in omnibus paragraphis adduxi, ſimul ponderemus atque omnia attento oculo conſideremus, obſervantes etiam ſeculo XIII. & XIV. in iudiciis nondum ſolemnem illum iuris proceſſum obtinuiſſe, qualis poſt ſec. XV. quum uſus iuris Canonici & Papalium Decretalium magis magisque propagatus fuit, exerceri cœpit, nemo facile negaverit, etiam ante conſtituta iudicia ſeculo iam XIII. & XIIII. formam quandam

Pro-

Proceſſus, certe quoad ſubſtantialia & acci-
dentalia ex ipſo iure naturæ vel gentium pro-
fluentia, in Pomerania obſervatum fuiſſe, ac
propterea exeunte ſec. XIII. hodiernam char-
tam in foro uſitatam fuiſſe, clariſſimum in
modum teſtatur, quod in principio ex apo-
grapho huius Diplomatis anni CIↃCCCXV.
Dominica Oculi, & ex ſigno ante quadrin-
gentos annos durabili huic chartæ impreſſo
latius demonſtratum eſt. Sed quum eiusmodi
charta anni CIↃCCCXV. in Pomerania inventa
fuerit, quæ inſigne gentis Caminenſis Epiſcopi
Henrici de Wacholt oſtendit, hic autem
anno CIↃCCXCIX. Epiſcopali dignitate hone-
ſtatus ſit, forte iam ante eius tempora ſæ-
culo XIII. eiusmodi charta ſive Stolpenſi
ſeu Stepenitzenſi mola fabricari potuit,
quippe aliquot tantum milliaria a poſteriori
loco diſtat Gülſow, ubi Diploma hoc exara-
tum fuit, quodque Epiſcopus Henricus de
Wacholt emtione ſibi comparaverat, quæ
emtio poſtea temporis pacto Belgartiaco fuit
confirmata. Vid. Micraelius p. m. 413. ſeqq.
edit. novæ.

Tandem, cuius ſupra mentio iniecta fuit,
anni CIↃCCCXV. *Dominica Oculi* hic adjungere
placuit Diploma, cui cauſſam dedit privile-
gium Epiſcopi Hermanni dat. an. CIↃCCLXXXX
I.

quod confirmatum poſtea fuit conſtitutione Episcopi Henrici de Wacholt, atque ita de verbo ad verbum legitur.

Nos Heinricus DEI gratia Caminenſis Episcopus una cum conſenſu honorabilium virorum Dominorum Hildebrandi Prepoſiti, Conradi Decani, totiusque noſtre Eccleſie Caminenſis Capituli, predictis Abbatiſſe & Conventui in civitate Cuſſalin, in recompenſam viginti manſorum in Villa Mölne ſitorum quos nobis & Succeſſoribus noſtris bonanimo demiſerunt, proprietatem quadraginta manſorum infra fluvios Radüge & Raduske ubicunque comparare poterunt damus, contulimus & dimiſimus cum ſua Jurisdictione perpetuis temporibus pacificè ac ſecure poſſidendam, hujus modi nihilominus recognitionem & donationem quam a venerabili patre Domino Hermanno noſtro Predeceſſore devotis virginibus Deifice & rationabiliter cognovimus fore factas, una cum noſtra donatione predicta ratificamus & in nomine Domini confirmamus, per preſentes inhibentes ſub Pœna anathematis, ne quispiam prefatam piam donationem ſeu recognitionem ac noſtram Confirmationem, infringere, moleſtare, aut perturbare auſu temerario audeat quoquo modo. Teſtes autem hujus noſtre confirmationis & donationis

ſunt

ſunt honorabiles VIRI; Domini Hildebrandus Prepoſitus, Conradus Decanus, Fridericus de Eyckſtede. Johannes de Wacbolt. Magiſter Johannes. Magiſter Heiſo Cantor, noſtre Eccleſie Canonici, Gottfridus Decanus & Herdetus Canonici Colbergenſes. Nobilis vir Hermannus Comes de Everſten. Haſſo de Wedele. Luchto Senior Wedelſtede. Reimarus de Wuſtenyge, Thetzeu noſter Advocatus, milites. Teslaus de Bevenhuſen. Stephanus de Kerkovv, Famuli, & quam plures alii fide digni. In evidentiam omnium promiſſorum preſentem Literam noſtro & Capituli Eccleſie noſtre Caminenſis ſigillis fecimus communiri. Datum Gülſovv Anno Domini M CCC. quinto decimo in Dominica qua cantatur Oculi mei &c.

VIRO ERUDITISSIMO AC LONGE CELEBERRIMO

JOANNI DAVIDI MICHAELIS

CONSILIARIO AULICO,

PHILOSOPHIÆ IN ACADEMIA GOTTINGENSI PROFESSORI AC SOCIETATIS REGIÆ SCIENTIARUM DIRECTORI

S. P. D.

GERARDUS MEERMAN.

QUum anno fere abhinc inclyta veſtra Scientiarum Societas tanto me afficeret honore, ut in numerum externorum Sodalium me cooptaret, eam mihi inpoſitam legem memini, ut unam alteramve commentationem, vel certe literas de ſelectiori aliqua materie ad eam transmitterem. Gaudeo itaque, Virorum Lectiſſime, natum iam mihi argumentum *de Chartæ Lineæ Origine & Antiquitate*, quod ipſa veſtra Academia Eruditorum non tantum ſcrutinio, ſed & præmio dignum cenſuit. Noſti, Vir Cl. me laudabili hoc

hoc exemplo incitatum iam aliquo abhinc tempore ea de re in publicum emiſiſſe *Admonitionem*, qua rerum Antiquarum Studioſis & calcar, quantum pote, addidi, & viam monſtravi ad quæſita maiori cum facilitate inveſtiganda. Specimen hoc exinde per omnes Europæ partes ad Viros Literatos, præſertim quibus Bibliothecarum vel Archivorum demandata eſt cuſtodia, ſparſi Reſponſa tamen, quæ aliquid ſubſidii lucisve continerent, ex ſola, quod mirere, Germania veſtra atque Hiſpania recepi. Ut igitur tum publico deſiderio ſatisfacerem, tum promiſſi fidem ſolverem, initio conſtitueram excerpta ex his literis, relatione quadam comprehenſa pluribus Diariis, in primis Actis Eruditorum Lipſienſium, inſerenda committere; verum re bene perpenſa conſilium mutavi repertisque, præſertim in Cl. Greg. Maianſii, Viri Summi, Epiſtolis tot elegantibus atque lectiſſimis Obſervationibus, ſatius eſſe duxi, ſi omnes notitiæ literariæ typis integræ traderentur: ſed quum ipſe aliis negotiis eſſem occupatus, illarum editionem, partimque etiam interpretationem Latinam commiſi Jacobo van Vaasſen, Juveni Doctiſſimo, qui quantopere ſtudium Antiquitatis bonarumque Literarum & æſtimet & colat,

proxime oſtenſurus eſt elaboratiſſima de *Cenſu Luſtrali & Cenſoribus Populi Romani* Diatriba, ad quam conſcribendam primum ipſi hortator, mox quoque e ſupellectile noſtra libraria adiutor exſtiti. Quos vero ex Commercio hoc epiſtolico fructus perceperim, paucis, Vir Cl. accipe. Antiquiſſimum Germaniæ (quo nomine Inferiorem quoque hic includo) monumentum in charta vulgari exaratum pag. 13. memoraveram anni CIƆCCCXXII. *Biblia* ſcilicet *Rhytmica* Jacobi Maerlantii; hoc vero antiquiora nunc indicarunt Amici. Quocirca primo recenſenda eſſet loco papyrus anni CIƆCCCIII. a Poppewitſchio pag. 48. e tabulario civico Vindogræcenſi, niſi Vir ille Clariſſimus id ſatis dubitantur ſcripſisſet, atque ita incertum relinqueretur, num verum tempus exaratæ chartæ memoria tenuerit. De fragmento chartæ anni CIƆCCCVIII. quod noviſſime Ill. Baro Senckenbergius transmiſit in literis, datis Viennæ die XII. menſis proxime elapſi, uti ipſe nihil definivit Vir Summus, ita, quid ſtatuam ipſe anceps hæreo; fateor eam & corpulentam quidem & bene contuſam eſſe, quod pro genere lineo militaret; ſed obſtare dixeris, quod tantopere lævigata ſit, adeoque ad Bombycinam materiem propius accedat,

dat; & forte ſtatui illa poſſet, quod nuper in mentem venit, eſſe mixti generis. Certiora videntur, quæ Cl. Gottſchedius pag. 18. ſeq. & Doctiſſ. Belius in Obſerv. pag. 24. ambo teſtati ſunt de *libro Rhytmico* Bibliothecæ Paullinæ Lipſienſis anno CIↃCCCXII. in vulgari charta ſcripto; qui quum viri ſint & peritiſſimi & hac in parte ſibi concordes, de rei veritate non eſt, cur tantillum dubitemus: atque ita haud erit neceſſarium, ut operoſe inquiramus, utrum Diploma Chartaceum Longolianum pag. 37. ſeq. ſit Friderici I. num vero II. Auguſtenſis Episcopi; ſiquidem ſalva ipſius Cl. Longolii opinione, illa charta annum fere CIↃCCCXII. haud excederet. Quæ porro Cl. Heringius in Diſſertatione, anno iam huius ſeculi XXXVI. Stettini typis inpreſſa, ſed quod rarior ſit, ad calcem huius opuſculi adiecta pag. 105. ſeqq. pro Chartæ Lineæ antiquitate in primis in Pomerania adtulit, ita ſunt comparata, ut ſatis evincant, Auctorem illam cum Bombycina paſſim confudiſſe, tametſi fieri poſſit, ut apographum inſtrumenti Henrici de Wacholt pag. 130. re vera ſit generis linei; quod vero quum intra annos CIↃCCCXV. & CIↃCCCXVII. collocet, omnino vetuſtate libro Lipſienſi cedit.

De inſtrumentis quidem Trajecto ad Rhenum per Cl. Qualenbrinckium ad me miſſis obſervo, ea quidem ex genere eſſe communi, nec tamen aliquid novi nos docere, quum medio fere ſeculo XIV. ſint exarata (Vid. pag. 102. & ſeqq.) atque adeo recentiora illis, quæ in *Admonitione* mea jam recenſueram.

Jam vero tranſire licebit ad Chartæ Lineæ in Hiſpania originem, nec tamen hoc loco repetam, quæ ad ternas Maianſii literas die XXIII. Septembr. anni præteriti (pag. 81. ſeq.) reſcripſi, quandoquidem circa transmiſſa a Viro Cl. Specimina non eſt, cur meam ſententiam nunc mutem; at enim vero intacta prætermittere non poſſum argumenta, quæ poſt modum & ab eodem Viro Erudito & a Cl. Perezio pro aſſerenda iſtius papyri antiquitate mihi nota ſunt. Charta igitur anni CIↃCCCLXVII. a Cl. Maianſio XVII. Kal. Decembr. anni præcedentis tranſmiſſa (Vid. pag. 86.) cui *Forficis* ſignum chartarius impoſuit, certiſſime eſt linea, at nimis, ut ipſe fatetur, recens; huic vero ſimilem eſſe chartam vocabularii Monaſterii Silenſis, exeunte ſeculo XII. conſcripti, ſupponit non probat Vir Doctiſſimus.

Cl. Perezius porro in *Notitia* pag. 90. ſeq. provocat ad Codicem Hebraïcum Bibliothecæ Escurialenſis ſcriptum Granatæ anno cIↃccL. in charta Linea vulgari; at, quod dolendum, nullum exinde fragmentum ad nos miſit, unde rei veritatem confirmaret; imo non convenit ipſi loc. cit. cum Cel. Maianſio, quum Perezius opinetur, uſum chartæ Lineæ in Hiſpania ſec. xiii. ineunte coepiſſe, Maianſius vero eum longe adhuc antiquiorem ſtatuit. Deinceps vero Perezius alia duo chartæ Specimina (Vid. pag. 94. ſeq.) miſit, unum e Ptolomæi Quadripartito, ſcripto anno poſt C. N. cIↃccLxii. & ſeq. quam chartam ego nullus dubito, quin Bombycinæ ſit accenſenda; alterum autem ex opere Hiſpanico anni poſt C. N. cIↃccxciv. quod etſi tam clare materiem non exprimat, attamen & ob colorem & quod lævigata ſit, magis videtur ad Goſſypinam quam Lineam Chartam accedere, imo forte, quem ad modum Senckenbergiana, cui tamen firmitudine cedit, mixti eſt generis.

Diſſimulare autem in tota hac re non poſſum, me id, quod in *Admonitione* mea pag. 16. verbo notaveram, experientia ulterius edoctum eſſe, dari nimirum Chartæ ſpecies ſeculo xiii. exeunte & xiv. exaratas, in

qui-

quibus diſtingui probe non poteſt materies, num linea ſit, an vero goſſypina; quod & de antiquiſſimis Angliæ monumentis in charta ſcriptis mihi nuper ſignificavit Cl. Ducarellius in epiſtola XI. Febr. huius anni pag. 98. & ſeq. Atque hinc factum arbitror, ut nullæ ex Gallia, Italia aliisve Europæ oris notitiæ literariæ ſuper hoc argumento ad me pervenerint, quod antiquiora illa chartarum genera diſtingui haud facile potuerint. Erunt fortaſſe viri artis Chemicæ periti, qui particulas chartæ ſeparare, atque ita certiſſimam differentiæ notam inter utrumque chartæ genus detegere poterunt; quam tamen in rem noſtrates huc usque compellavi fruſtra; Eo vero ni perduci res queat, verendum eſt, ne tempus locusque inventæ chartæ Lineæ detegantur unquam. Imo quum reperta nondum ſit chartæ ſpecies antiquior anno CIƆCCCII. quam Epocham huc usque antiquiſſimam Bulletti fide in *Admonitione* pag. 14. ſtatueram, illico ſentis, Vir Cl. petitioni meæ ſatisfactum nondum eſſe, & forte ſatisfieri non potuiſſe. At quum ita ſeſe res habeat, præmio, quod conſtitueram, honorandus mihi videtur ille, qui, etſi rem ad liquidum perducere non potuerit, attamen & ſummo ingenii acumine & maiori præ ceteris Eru-

di-

ditionis apparatu ad hanc materiam exornandam acceſſit, Maianſius inquam noſter, orbis Literati, præſertim Hiſpanici eximium decus.

Quandoquidem vero Illuſtriſſima Gottingenſis Societas pari liberalitate Viros Doctos ad enucleandum hoc argumentum compellavit; mei eſſe putabam officii, ut, quas excuſas hic vides, Virorum Eruditorum relationes, additis ipſis etiam, quæ receperam, veteris chartæ Speciminibus ad Te, Vir Celeb. mitterem; Eruditiſſimi illius Sodalitii Tuumque in primis de tota hac re porro exſpectans iudicium. Vale, Vir Incomparabilis, meque inter primos Nominis, Eruditionis ac Virtutum Tuarum æſtimatores habe. Dabam Roterodami d. IV. Aprilis CIƆIƆCCLXIII.

NO-

NOBILISSIMO, ET ERUDITISSIMO VIRO
GERARDO MEERMANNO,
PRIMARIO SYNDICO ROTERODAMENSI
GREG. MAJANSIUS,
GENEROSUS VALENTINUS
S. D.

SI quid ego video, Ampliſſime Gerarde Meermanne, Hiſpaniæ charta linea antiquitatis habet prærogativam inter cæteras, quæ deſignari poſſunt in qualibet alia Europæ parte. Nam ſi ſolis conjecturis agendum eſt, opinio hæc validioribus innititur ob lini Sætabi antiquitatem, & præſtantiam, hoc eſt, ob chartæ optimæ materiam, ob ejuſdem generis chartæ deſignationem a Petro Bleſenſi factam, atque ob ſpeciales & maximas laudes papyri Sætabi fabrefactæ antiquiſſimo tempore. Si ad experimenta provocamus, age oſtende mihi chartam Hiſpanica anti-

quiorem, atque hac in re Tibi aliiſque aliud ſentientibus, non tam mecum certandum eſt, quàm cum iis qui præfecti ſunt vetuſtiſſimis Hiſpaniæ Tabulariis, Barcinonenſi, Septimancarum, Monaſterii Eſcurialenſis, & Populeti, Eccleſiæ Tarraconenſis, Toletanæ, Burgenſis, multorumque Regnorum, & Eccleſiarum, qui ſi exhibere voluerint antiquiſſima chartæ lineæ ſpecimina, quæ ad manus habent, proculdubio ita ſtruebunt ſententiæ meæ, ut nemo de ea dubitare poſſit. Ego vero ut factis ipſis antiquitatem hanc Tibi demonſtrarem, nihil aliud facere potui, quàm rogare amicum meum Cl. Franciſcum Perezium, Eccleſiæ Toletanæ Theſaurarium, atque Canonicum, ut nonnulla ſpecimina vetuſtiſſimarum chartarum linearum ad me mitteret. Cumque in Bibliotheca Eſcurialenſi opportune occupatus ſit in manuſcriptorum indice conficiendo, tria miſit ad me, ut illa Tecum communicem, quo melius ea qua polles ingenii judiciique dexteritate, experimentis adhibitis, diſcernas, decernaſque, cujus materiæ ſint illæ chartæ, lineæne, an goſſipinæ, an vero bombycinæ. Exiſtimo ego omnes eſſe lineas.

Primum ſpecimen in folio, deſumtum eſt ex codice Hebraico Eſcurialenſi n. 35. in

que

quo ſunt nonnulla Ariſtotelis opera deſcripta an. Mundi 5010. ſive Æræ Chriſtianæ 1250.

Secundum ſpecimen forficula interciſum, eſt ex eodem codice n. 35. & ſpecimen quidem deſumtum eſt ex ipſa charta, in qua legitur Epocha, qua codex ſcriptus fuit, ſcilicet anno Mundi 5010. ſive Chriſti 1250.

Tertium ſpecimen eſt ex codice Hebraico ejusdem Bibliothecæ; in quo præter alia continetur Tractatus de præceptis negativis Rabbi Moſis Ben Jacob Mikötzi; in cujus fine dicitur *exaratus eſſe anno mundi* 5027. ſive Domini 1267. quod ſpecimen eſt chartæ politæ, Hiſpane, *Papel brunido.*

Nunc igitur advoco judicium Tuum. Si aliquod ex his ſpeciminibus eſt chartæ lineæ, exiſtimare debes, hæc quæ mitto, non eſſe unica, neminem poſſe affirmare eſſe reliquis omnibus antiquiora; imo probabiliter dici poſſe, eſſe plurima alia multo his vetuſtiora in tanto numero chartarum, totque Tabulariorum diverſis locis exiſtentium. Ac propterea ſentiendum eſt, chartas lineas in uſu fuiſſe eo tempore, imo etiam multo antiquiore, quo ſcriptores laudabant earum præſtantiam. Atque hæc de noſtro argumento dixiſſe ſufficiat. Vale, Vir Ampliſſime, Tibi, ac Reipublicæ Litterariæ. Olivæ pridie Nonas Apriles An. MDCCLXIII.

VIRO CLARISSIMO ET
ERUDITISSIMO,

JOANNI DAVIDI MICHAËLIS,

CONSILIARIO AULICO,

PHILOSOPHIÆ IN ALMA GOTTINGENSI ACADEMIA

PROFESSORI CELEBERRIMO

ATQUE

ILLUSTRIS REGIÆ SCIENTIARUM SOCIETATIS DIRECTORI.

S. P. D.

GERARDUS MEERMAN.

NOn dubito, Vir Celeberrime, quin in tempore receperis literas meas, die quarto huius menſis ad te datas, una cum notitiis literariis ac veterum chartarum ſpeciminibus per Viros doctos, præſertim autem per Cl. Maianſium, mihi transmiſſis. Jam vero idem Hiſpaniæ eruditus, epiſtola pridie

Nonas April. ad me ſcripta, rurſus priſtinam ſuam de chartæ lineæ in Hispania antiquitate opinionem novis ratiociniis ſtabilire conatus fuit; quod ut faceret, miſit antea a me deſideratum integrum chartæ folium e codice Hebraïco Bibliothecæ Eſcurialenſis num, 35. per Doctiſſimum Perezium transmiſſum; qui codex cenſente eodem Perezio in notitia ſua (Vide pag. 90. & ſeq.) ſcriptus fuiſſet an. poſt C. N. CIↃCCL. Hæc autem Æra ſi bene ſeſe habet, meo quidem judicio res eſt confecta, quoniam charta illa, uti & tu, Vir Doctiſſime, ſine dubio ipſe ſtatues, certiſſime eſt generis linei. At vero multum ab eſt, ut ea in re Clariſſimo Perezio tam facile adſentiri queam. Auctor quidem illius libri Mſti Moſes Bar Semuel Bar Jehuda Ben Thibun, patria Granatenſis, ad calcem profitetur, ſe Ariſtotelis hæcce opuſcula ex Lingua Agarenica in Hebraïcam tranſtuliſſe eique verſioni Hebraïcæ ultimam manum impoſuiſſe menſe partim Tebeth partim Elul anno Mundi quinquies milleſimo decimo (i. e. Chriſti CIↃCCL.) At enim vero omnino diſtinguendum eſt inter tempus compoſiti abſolutique operis atque exarati codicis ætatem. Plurimi certe codices dialecti Orientalis in eadem, ubi & hic liber adſervatur, Eſcurialenſi

Bi-

Bibliotheca occurrunt, ubi in fine ab auctore addita eſt temporis, quo opus abſolutum; nota, quos tamen pleroſque omnes apographos eſſe poſterioris ætatis liquet: illis vero nonnunquam Amanuenſes annum exarati codicis addiderunt, nonnunquam omiſerunt, ut videre eſt in Michaëlis Caſiri Bibliotheca Arabico Hiſpana Escurialenſi Tom. I. Edit Matriti 1760. prioris enim generis exempla illic obvia ſunt ſub Num. 22. 41. 68. &c. poſterioris ſub Num. 16. 46. 77. & alibi paſſim. Probe autem Literatiſſimus ille Regis Catholici Bibliothecarius ubique diſtinxit operis abſoluti & exarati codicis diverſum tempus; neque monere neglexit, ſi quando Codex, temporis, quo ab auctore confectus notam habens, autographus eſſet; uti conferenti patebit ex Num. 15. 172. & alibi.

Sicuti vero ex laudato Arabicorum Manuſcriptorum indice liquet, pleroſque illorum eſſe apographos, ita hoc ipſum quoque de memorato codice Hebraïco ſub Num. 35. ſtatuendum arbitror: non ideo tantum, quod illius auctor minime addiderit, revera ſe ſupra dicto mundi anno 5010. hunc librum ſcripſiſſe, verum etiam, quoniam ipſo monente Perezio (vide pag. 92. hujus opuſculi)

 ch-

charta huius codicis terſior ſubactiorque & longe candidior eſt, quam quæ ſub finem imperii Alſonſi X. & Sanctii eius filii initia i. e. ab anno CIƆCCLXXX. ad CIƆCCXC. exaratæ ſunt. Et ſane ſi conſideremus chartam ex Ptolomæi Quadripartito anno CIƆCCLXII. & ſeqq. ſcripto (Vid. pag. 94. & ſeq.) itemque aliam ex Cod: Hebraïco Bibliothecæ Eſcurialenſis *exarato*, ut diſertis verbis in fine additur, anno 5027. a creatione mundi i. e. æræ Chriſtianæ CIƆCCLXVII. (per Cl. Maianſium proximis literis eiusdem Perezii beneficio mihi transmiſſam) pluresque etiam in Hiſpania ſcriptos aliquot adhuc luſtris poſteriores, de quibus in literis meis partim ad Cl. Maianſium (pag. 81. & ſeqq.) partim ad te, Vir Cl. locutus ſum, patebit, has omnes eſſe Bombycini generis.

Quum igitur charta hæc codicis Hebraïci Num. 35. haud abſimilis videatur chartæ anni 1367. per Cl. Maianſium 17 Kal. Dec. transmiſſæ (vid. pag. 86.) itemque chartæ libri Sætabenſis, quam ipſe Maianſius accenſet ſec. XIV. exeunti aut initio XV. nullus equidem dubito, quin codex iſte Hebraïcus eidem fere ætati ſit adſcribendus, atque adeo ſeculo integro vel amplius recentior ſit eo tempore, quo ab auctore opus fuit

ab-

abſolutum. Ut autem totam rem propius cognoſcere aliorumque Ill. veſtræ Societatis Regiæ membrorum iudicia explorare poſſis, Epiſtolæ Maianſianæ apographum, una cum vetuſtæ chartæ ſpeciminibus, de novo adiectis, ad te tranſmitere placuit.

Vale, Vir Illuſtris, meque ſemper Tibi habe commendatiſſimum.

Dabam Rotterodami D. xxix. April
CIↃ IↃ CC LXIII.

NOBILISSIMO, DOCTISSIMOQUE

VIRO,

GERARDO MEERMANNO,

GREG. MAJANSIUS, GENEROSUS VALENTINUS

S. D.

IN Epiſtola prima, quam ad te miſi de chartæ lineæ antiquitate, dixi Foros Valentinos latos fuiſſe anno M. CC. L. ſecutus inſcriptionem primi fori. Cum vero poſtea compererim, id falſum eſſe, quæſo, ut deleas initium §. incipientis. *Quam uſitata*,

(vid. pag. 60. hujus Opuſculi) atque ſubſtituas ea, quæ his litteris adjunxi.

Quam uſitata autem eſſet papyrus in hoc Regno Valentiæ, declarant ejus leges, ſive Fori, in quibus frequens fit mentio papyri. Atque hæ leges, ſive Fori, quos ipſe legiſlator Jacobus Rex, cognomento Expugnator, *conſuetudines* ſolet appellare, in editione anni 1547. quam habeo, fol. 1. col. 3. in ipſomet eorum titulo lati fuiſſe dicuntur anno M. CC. L. Sed Cl. vir Laurentius Matheu & Sanz in Tractatu de Regimine Regni Valentiæ, cap. 2. §. 5. num. 53. recte admonuit, id additum fuiſſe a compilatore: nam in Foris editionis antiquæ, quorum codex aderat inter libros Regii Conſilii, omnino deficiebat anni appoſitio. Editionem antiquam puto fuiſſe eam, quam Joſephus Rodriguezius in Bibliotheca Valentina, pag. 145. ait ſe vidiſſe abſque partium diviſione, ex officina Didaci de Gumiel, anni 1515. in fol. certe Privilegia Civitatis, & Regni Valentiæ eo ipſo anno, & apud eundem typographum edita fuerunt, editionem curante Ludovico de Alanya, qui ſe Alanyanum vocavit in admonitione ad lectorem, quæ abſolutum opus ſubſequitur. Sed quod magis eſt, ad Fororum antiquitatem probandam

dam Matheu ait, apud Vincentium de Calahorra, collegam ſuum, eſſe codicem Fororum antiquiſſimum in membrana conſcriptum, ubi pariter anni appoſitio deficiebat. Idem vir doctiſſimus manifeſtavit errorem adnotationis adjunctae titulo Fororum, in qua adnotator, quicumque ille fuerit, ſive incertus auctor, ſive Franciſcus Jahannes Paſtor, Notarius Valentinus, qui editionem præferentem annum 1547. dedicavit Seviris Valentinis anni M. D. XLVIII. probare voluit; ex duobus privilegiis Foros ſtatutos fuiſſe anno XII. poſt captam Valentiam; cum tamen ex illis nullo modo id colligatur.

Verum optime ſciemus, quo anno Fori Valentini conditi fuerunt, ſi a memorato anno M. CC. L. retrocedamus, probationes indicando, quibus error tam compilatoris, quam adnotatoris, manifeſtus fiat.

Jacobus Rex in privil. 28. fol. 10. col. 4. anno 1249. jam allegavit conſuetudines ſuas ſive Foros; ergo non fuerunt promulgati anno ſequenti M. CC. L.

Praeterea Rex Jacobus in foro 1. memoriæ tradidit, quorum Antiſtitum, Richorum hominum, Nobiliumque conſilio uſus fuerit ad conſuetudines in ſcripta redigendas. Si probaverimus igitur annos emortuales non-

nullorum ex iis, qui conſilio illi interfuerunt, extra dubium erit, Foros antea fuiſſe conditos.

Jam vero conſtat, Bernardum Epiſcopum Vicenſem cognomento Calvonium obiiſſe anno 1243. uti refert Tamajus de Salazar in Martyrologio Hiſpano die 31. menſis Auguſti pag. 635. & 636.

Garſia Epiſcopus Turiaſonenſis anno 1238. teſtis fuit deditionis Urbis Valentiæ, uti liquet ex inſtrumento deſcripto a Franciſco Diago, Lib. VII. Annal. Regni Valentiæ, cap. 25. fol. 316. & anno 1242. jam habebat ſucceſſorem Petrum Vitalem, uti videre eſt in Concilio Tarraconenſi illius anni apud Antonium Auguſtinum in Conſtitutionibus Provincialibus Tarraconenſibus pag. 373. & apud Martinum Carrillo, in Catalogo Epiſcoporum Turiaſonenſium, pag. 340. ubi inter Guilielmum & Vitalem immerito omiſſus fuit hic Garſia.

Berengarius de Palou, Epiſcopus Barcinonenſis deceſſit die 24. Auguſti anni 1241. ut ait Diago, Lib. III. Hiſtoriæ Comitum Barcinonenſium, cap. 9. fol. 183. Col. 4.

Bernardus de Monteacuto, Epiſcopus Cæſarauguſtanus obiit die 8 Martii anni 1239. ut refert Carrillo in Epiſcopis Cæſarauguſtanis,

nis, pag. 248. ſubſcribente Didaco Murillo, Tractatu 2. cap. 28. pag. 236. col. 1.

Concludendum igitur eſt, paucis diebus, aut uno, duobusve menſibus poſt Valentiæ expugnationem habitum fuiſſe concilium illud, quo Jacobus Rex Leges, ſive Foros compoſuit, ordinavit, ſancivit: quod perſpicue docuit nobilis Jacobus Febrer in libro de familiis expugnatricibus Valentiæ ejusque Regni, agens de familia Plegamans, cujus elegantiſſimum teſtimonium ſic ſe habet:

Guanyada Valencia, ajuntà lo Rei
Prelats, e Richs-homs, e ætra noble gent
Pera qu'entre tots feſſen una lei,
Ab qu'es governàs tota aquella grei,
Qu'en ella deixava ab molt luiment.
Pere Marimò dit de Plegamans,
Valent Cathalà, ſavi en Barcelona
U dels Nobles fonch entre los Cathalans,
Que feren los Furs-Juntes dues mans.
Porta ſobre or, que ſon nom blaſſona.
La Prudencia d'ell la fama pregona.

Quæ inſignium gentiliciorum explicatio in Latinam linguam converſa ſic ſe habet. „ Expugnata Valentia Rex (Jacobus) concilium „ habuit Sacrorum Antiſtitum, Richorum hominum, & aliorum Nobilium, ut omnes le-

„ gem conderent, qua omnis ille grex rege-
„ retur, quem in illa urbe multo ſplendore
„ relinquebat. Petrus Marimò cognomento
„ Plicamanus, ſtrenuus Cathalanus, Barcino-
„ ne ſapiens, fuit unus ex nobilibus Cathala-
„ nis, qui Foros condiderunt. In campo au-
„ reo fert conjunctas duas manus, quas ejus
„ nomen indicat. Illius prudentiam fama præ-
„ dicat. " Huc usque Febrer, qui alibi memoriæ tradidit, reliquos Fororum conditores fuiſſe, Guilielmum Belloch tractus Urgellenſis, Petrum Garidell Prelatenſem, Guilielmum Moragues Cathalanum, & Petrum Balaguer, atque Fororum emendatorem fuiſſe Petrum Martell, Peroti filium.

Hæc cum ita ſint, Conſuetudinum nomen indicat, has fuiſſe ante Foros conditos; nam aliquo jure uti debuit Jacobus Rex annis illis præcedentibus expugnationem Valentiæ. Cum vero, ut ipſe ait in foro I, niſi conſuetudines in ſcriptum redigantur, poſſet eſſe inter litigantes magna confuſio, & contentionum materies, cumque hominum memoria ſit labilis, & in oblivionem prona, ideo illas conſuetudines ſcribi juſſit, & legum, ac Fororum nomine inſignivit.

Suppoſito igitur tempore, quo lati fuerunt, parte ſcilicet extrema anni Domini

M,

M. CC. XXXVIII. in illis ſæpiſſime occurrit Papyri mentio. Nam foro 18, &c.

Vale Tibi ac Literis. Olivæ III. Eidus Apriles An. M. D. CC. LXIII.

VIRO PERILLUSTRI

GERARDO MEERMANNO,

REIPUBLICÆ ROTTERODAMENSIS CONSILIARIO ET SYNDICO,

P. S. D.

JOANNES PHILIPPUS MURRAY.

Quæ de ſucceſſu Studii tui in detegendis primis chartæ lineæ initiis, plane eximii, atque hinc per omnem Europam celebrati, ad Directorem Regiæ ſcientiarum Societatis Goettingenſis, præſtantiſſimum Michaëlis, die V. Aprilis, abs te perſcriptæ fuere litterae, easdem ille, pro humanitate ſua, mecum mox communicavit; iſtud ſimul officii mihi demandans, ut de iisdem, proximo Sodalium conſeſſu, publice referrem. Huic me operi tanto majori cum vo-

voluptate accinxi: cum & ſingulari cultu nomen Tuum, illuſtris Meermanne, & de Litteris merita, jam dudum proſecutus eſſem; & mihimet ipſi præcipuo honori ducerem, quod omnium primo contingeret, de negotio hoc, tam præclare geſto, & collectis, tua opera eruditorum hominum pulcherrimis obſervationibus exponere.

Peregi, quæ exſequenda mihi ſumſeram, conventu Societatis, quod in diem nomini Auguſtiſſimi Regis Sacrum XIII. Aprilis, delatus erat, ſolemniori. Scripta, plagulis nobis benevole trasmiſſis comprehenſa, recenſui ſingula; copioſiori tamen oratione, cum in litteris Majanſii tui, ſummi viri, tuisque ad illum datis reſponſionibus, hærerem; quo tanto luculentius Auditoribus de controverſia inter vos, pari & acumine, & humanitate agitata, conſtaret. Exhibui quoque diverſa chartæ antiquiſſimæ ſpecimina, opuſculo adjecta, auroque, quod illo vix redimi poſſint, æquiparanda. Inque talibus verſatus, non invite, quin etiam demonſtrata verbis delectatione, perceptus ſum: quod cum materiæ nobilitati tribuo; tum proſperæ, qua fruebar, ſorti, eadem abs te, illuſtris Meermanne, fuiſſe profecta.

His,

His, publico Societatis conſeſſu, uberius commemoratis, mox in relationibus noſtris Litterariis, eorum, quæ iſto die acta fuisſent, rationem redditurus, ſingula ſuccincta narratione complexus ſum; ut inde pluribus innoteſceret, quo in quæſtionis propoſitæ reſolutione ſucceſſu huc usque uſus fuiſſes; Exemplisque in medium prolatis, maxime incomparabilis Majanſii, alii ad bibliothecas tabulariaque tanto diligentius ſcrutanda, &, quæ detexiſſent, Tecum communicanda excitarentur.

Hæc vix expedita, cum jam recentiorem abs te epiſtolam ferret clariſſimus Michaëlis, die XXIX. Aprilis exaratam: quam pari ratione excutiendam, & in publicos uſus convertendam, mihi tradidit: id quod, relationum Goettingenſium libello LXV, a me præſtitum.

Ex his jam colliges, optime Meermanne, quam jucundæ Sodalibus fuerint ſuaviſſimæ Tuæ litteræ; teſtes cum propenſiſſimi in Societatem affectus, tum ſummi litteras adjuvandi ſtudii. Efflagitas vero præterea, quæ Tua eſt urbanitas, ut de univerſo negotio ſententiam ſuam ferant Sodales. Qua in re licet & plurimum illis tribuas, & ipſi ad inſerviendum Tibi alioquin paratiſſimi ſint;

tamen eos difficiliores experireris; quando quidem, inter reliqua, contra Majanſium pronuntiare teneantur: niſi ipſius ſimul Societatis cauſſa, aliqua ex parte, agi videretur, quæ ad chartæ lineæ origines curatius perveſtigandas eruditos homines, pari propoſito præmio, ſollicitavit. Cum vero præſtantiſſimum virum tanta animi æquitate ea tuliſſe legamus, quæ ipſe in illius aſſerta regeſſiſti: confidimus, eum non minus facile aſſenſum, conjunctiſſimo amico datum, percepturum. Eaque perſuaſione captus, quid de toto negotio ſtatuerint Sodales, liberius transſcribam.

Principio in eo prorſus convenerunt, non æque accurate, ac in admonitione Tua, litteratiſſime Meermanne, factum, chartam bombycinam, goſſypinam, cottoneam, vel quocunque alio nomine eadem veniat, ab linea, (*a*) recentioribus ſæculis uſitata, etiam a verſatiſſimis in arte diplomatica viris, fuiſſe diſtinctam. Etenim *Ludewigium* illam ab hoc genere plane diverſam cogitaſſe merito ar-

(*a*) *Lineam* enim eam dicere, Tuo exemplo præfero, ut, vel ipſa appellatione, mox a telis *linteis* discernatur, quibus, chartæ vice, priſcæ jam gentes uſæ ſunt.

arguimus; dum chartæ bombycinæ volumina, a Montfauconio ſæculo IX. & proximis attributa, plagulis conſtare ſuſpicatus eſt, e floccis ſericis, vel Xylinis, conglutinatis atque compactis. (*b*) *Muratorius* vero bombycinam, cum vulgari noſtra, certe commiſcuit, hanc iſto nomine primum inſignitam fuiſſe autumans, & utriusque, ſine diſcrimine, origines ex ſæculo decimo repetens. (*c*) Idemque & *Hertio* eveniſſe non inique conjicitur, quod, de materia, in qua diplomata exarata fuerint, exponens, nulla plane chartæ bombycinæ facta mentione; vulgaris uſum ab annis quingentis deduxit, (*d*) etiamſi auctores abſolutiſſimi Syſtematis di-

(*b*) *Hall. gel. Anz. 2ter Th. p.* 275. Verba viri, in quibus ipſiſſimum Ludewigium diſſerentem percipere mihi videor, quæ adſcribantur digna ſunt: „ Die ſtücke, welche Montf. anführet, mögen aus ſeidenen Flocken, oder Baumwolle, zuſammengepappet und gepreſſt ſeyn. *& notab:* Und iſt gewiſs die kluft unter ſeinen alten lappen, und unſerem Papier ſehr groſs."

(*c*) *Antiqu. Hal. To. III. diſſert.* 43, *p.* 871. „ Bernh. de Montfaucon — contendit, Bombycinam chartam (ſic enim primum appellata eſt vulgaris noſtra) uſurpatam reperiri etiam ſæculo epochæ noſtræ XI. immo & X."

(*d*) *Diſſert. de fide dipl. Germ. Imp. & Regum. Sect. I. §. 10. in Baringii clavi Diplom. pag.* 337.

diplomatici, in Gallia prodeuntis, iſtum locum modo de charta linea, quam quidem verba denotare videntur, interpretati ſint. Tanto igitur minus miramur, homines, hiſtoriæ alioquin univerſæ haud vulgari ſcientia præditos, ſed ab ipſorum veterum documentorum uſurpatione remotos, hanc chartæ, ex ramentis goſſypinis, ſive lineis, effectæ, diverſitatem vel ignoraſſe, vel aliam, ac debuiſſent, animo concepiſſe.

Ulterius nervoſa ſuccique plena brevitate vehementer delectati ſumus, qua de charta ſigillatim linea, illiusque principiis, eatenus detecta, diſſeruiſti; ſucceſſu quidem adeo felici, ut quem Tibi in eo comparemus, inveniamus neminem. *Mabillonius* ſane & *Montfauconius* chartæ varias ſpecies a ſe invicem probe ſecreverunt. Cum vero uterque Petri Venerabilis, Judæos deridentis, in commentatione contra eosdem, verba, tantopere celebrata, de chartis ex raſuris veterum pannorum compactis, ad lineam, qua hodie utimur, traxerit: hujus initia ad ſæculum XII. referenda ſtatuerunt; nullis licet ſpeciminibus, ante XIV, ab illis ipſis uſpiam detectis. *Chronicon* vero *Gotwicenſe*, ditiſſimus omnino ſelectarum obſervationum theſaurus, in hac materia non iisdem,

dem, quibus alioquin, copiis abundat. Quæ tamen de illa pauciſſimis verſibus complectitur, tantæ dignitatis æſtimantur, ut ad eadem, etiamſi nil definiti ſtatuant, provocarint, quicunque hanc recentius agitarunt controverſiam. Vidit quoque illuſtriſſimus *Maffei*, qua erat mentis acie, in his non nulla acutius: (*e*) viderunt etiam auctores recentiſſimi ſyſtematis diplomatici Galli, ex inſtituto de chartæ diverſis generibus agentes. Sed cum non eodem, quod Tuum fuit, ſagaciſſime Meermanne, conſilio, ſua collegerint, varia non attigere, quæ in Tuo ſcripto leguntur, & ad rem omnem illuſtrandam inſigniter faciunt.

Sunt quoque non minoris pretii, a Temet primum obſervata; ut iſta Imperatoris Friderici II, de documentis publicis non in chartis bombycinis, ſed in membranis, quippe diutius multum duraturis, conſcribendis, (Obſ. p. 4.): e quibus univerſæ liti plurimum lucis accedit. Alia, Tua interpretatione adhibita, jam expedita videntur & plana, cum, ambiguitate ſua, diverſum ſenſum admitterent. Maximi vero hoc æſtimamus, quod, tanquam in tabula, quidquid

(*e*) *Iſtoria diplomatica*, *pag.* 77.

quid de chartæ lineæ antiquitate ab litteratis hominibus diſputatum fuit, quidquid variis in regionibus obſervatum, evictum, omnium ob oculos poſueris: ex quo &, unde altius ſcrutaturis ordiendum foret, conſtitit, & quam viam tenerent, & quanto, quamque acuto judici ſua committerent.

His Tuis, optime Meermanne, meritis immorari eo magis obſtrictos nos credimus, quo majori modeſtia, in quibus plus reliquis præſtiteris, reticuiſti; & ne aſſenſum Tibi magis ob demonſtratam erga nos benevolentiam, vel etiam, quod in rem ipſam ſerio inquirendi laborem fugiſſemus, præbuiſſe videamur. Huic quoque diligentiæ potiſſimum tribuimus, quod in colligendis undique ad rem quæſitam obſervationibus, tantæque raritatis documentis, ea felicitate adjutus ſis. Hanc nempe, quod majorem adhuc exoptaras, ſpeque haud inani præſumſeras, non tanti habere videris, quanti, experientia propria edocti, eam exiſtimamus. Cum enim, decem abhinc annis, eamdem quæſtionem rei peritis dirimendam propoſuiſſet Regia Societas: poſt binorum annorum decurſum, unicum tantum tulit ſcriptum; ea tamen accuratione elaboratum, ut dignum illud judicarit, quod conſtituto

or-

ornaret præmio. Hoc vero tradito, demum diploma intuendum nacta eſt, quævis huc usque cognita, in charta linea exarata, ſi ex anno adſcripto, aliisque probabilibus ſignis, res confici poſſet, plus centum annos ætate ſuperans; ſed dubitationi obnoxium: de quo, ut & de commentatione, communibus ſuffragiis præmio affecta, deide aliquantum uberius exponam. Nil vero præterea Societati transmiſſum, quod materiæ agitatæ ſubſidii quid attuliſſet. Ex his prosperiori Te omnino ſorte uſum colliges: quod non modo Tibi, pro eo, quo litteris cupimus, affectu, non invidemus; ſed ob ſuaviſſimum quoque ſodalitium, valde gratulamur.

Super reliqua autem non poſſumus, quin *Majanſii* Tui, & nunc etiam noſtri, ſollicitam curam, & indefeſſam ad explenda amici deſideria operam, extollamus. Exoſculati vero non minus ſumus eximii Viri ingenium, doctrinæ copiam, ſermonis ſuavitatem: quæ in ipſo jam mirari deſivimus, cum quisque e Germanis noſtris elegantioribus ſtudiis ſe dedit, generoſum Tuum Valentinum eo honore colit, quo ſummos viros colere convenit. In his quoque litteris, ad Te datis, ſibi ſimillimus: tali in conquirendis in rem ſuam argumentis acumine, talique in iisdem

exornandis facundia verſatus, ut, ſi ſolis decertandum fuiſſet ratiociniis, palmam profecto maxime dubiam Tibi reddidiſſet. Quam enim veroſimillimum argumentum: inde ab antiquiſſimis jam temporibus, circa Sætabin, præſtantiſſimum linum fuiſſe cultum, & ex illis telas, mira arte, textas: eademque inſuper in urbe, Sæculo XII, chartam eximiæ indolis confectam: igitur hanc ex materia potius lintea, quam goſſypina, peregrina ſcilicet in Hiſpania, conſtitiſſe? Quam ulterius ad perſuadendum compoſita, quæ a litteratiſſimo Viro de commentariis expugnationis regni Valentiæ in charta linea, Sæculo XIII. exaratis, de documentis, in tabulario Regio Barcinonenſi obviis, de mandato Petri IV, Aragoniæ Regis, in charta efficienda priſtinam firmitatem & formam urgente, in medium prolata legimus? Hæc ſane ejus indolis ſunt, ut quemlibet facile in aſſenſum rapiant, qui in iſtis rebus non Tua, Meermanne, perſpicacia præditus eſt.

Neque tamen video, quæ Majanſio opponi potuiſſent, ad quæ non parata ipſi fuiſſet reſponſio: niſi, pro ingenuitate ſua, varia chartæ Hiſpanicæ transmiſiſſet ſpecimina; & vel ingenioſa argumentatione ſte-

tis-

tiſſet, vel ſuæ & amicorum, in priſcis codicibus apprime verſatorum, fidei id dandum expoſtulaſſet. Verum noluit auctoritate ſua abuti Vir optimus: veroque eruendo unice intentus, Tibimet libere judicandi facultatem reliquit; eamdemque antiquæ chartæ vel integra folia, vel ſegmina, operoſe conquirendo, atque oculis Tuis ſubjiciendo, quavis ratione ſuffulſit.

Iam, ſuo ordine, coram me hæc antiquitatis monumenta expoſita jacent; ſæpiusque perluſtrata, novam tamen voluptatem mihi, eadem denuo perluſtranti, adferunt. Habet nimirum neſcio quid jucundi, quæ animum ſubit, cogitatio, hic oculis manibusque meis uſurpari, quæ nuper adhuc in bibliotheca Toletana, Eſcurialenſi, Majanſiique ſervata fuerunt. Contuli, ſtatim ab initio, opera, qua decuit, maxime intenta, cum ſingulis hiſce reliquiis, & quæ de iisdem eruditiſſimi Hiſpani contenderunt, & quæ abs Te, acutiſſime Meermanne, ad eadem fuere reſcripta: recentiſſime vero novo examini ſubjeci ſingula. In his autem fateri teneor, me cujusque chartæ indole ſollicite indagata, &, ni nimium mihi tribuam, mente probe percepta, in Tuam de unaquaque fere ſententiam flexum fuiſſe. Ge-

neris enim ſive bombycini, ſive goſſypini, (ſi, inter utrumque diſcrimen ſtatuere, volupe), pleraque hæc transmiſſa ſpecimina Tecum a me cenſentur: taliaque a ſodalibus reliquis habita fuere; nec minus ab aliis, quibus eadem luſtranda præbui.

Imprimis in foliolo, quod clariſſimi fuit *Velaſci*, fila iſta xylina, rudiori quippe arte contrita, inſuetis papyri goſſypinæ oculis, ut fere noſtratium hominum, adeo aperte comparent, ut, cum publice de negotio univerſo verba facerem, eſſent, qui, animadverſione Tua nondum percepta, materiam jam goſſypinam arguerent. In reliquis quidem eadem multo majori cura macerata, ſoluta, compacta eſt: quamvis in uno atque altero quoque compagis bombycinæ quædam veſtigia appareant. Omnia tamen hujus generis mihi, ſive digito palpentur, ſive luci obtendantur, aliquid videntur habere, quod illorum indolem aliqua ratione prodat; ut pote præcipuam quamdam mollitiem, quæ ipſius lanuginis xylinæ eſt, & majorem cum membranis ſimilitudinem; unde & *Pergameni pannei* cognomen procul dubio traxere. Inſuper charta goſſypina magis deprehenditur friabilis, neque plicas æque perferens, ac linea. Hæc enim magis len-

lenta eſt; & flexibilis, & diſtendi ſe patiens; denſitate etiam, in æquali tenuitate, majori, firmior præterea, quod particulis arctius cohærentibus conſtat. Goſſypina plerumque craſſior obſervatur. Tamen novimus, tenuiorem quoque dari: qualem eam in foliolo cernimus, quod ex libro aſtronomico, in Perſia ſcripto, exſciſſum nobis miſiſti. Lineam vero ea craſſitie, antiquitus præſertim, confectam offendimus, & hodie confici ſcimus, ut ne goſſypinæ quidem craſſiori cedat.

Magis igitur huic propria videntur, quæ aliquoties probe urſiſti, quod flavidi aliquantum coloris ſit, quod lævigata niteat. Contra charta linea potiori albedine placet, & terſa quidem eſt, ſi præſtantioris indolis, non polita. Adderem, neque ſtrias ejusmodi, quales in linea cernimus, eidem ab filis æreis moduli, quo hauritur charta, impreſſis, in goſſypina detegi. Saltem in plurimis foliolis, nobis transmiſſis, lumini ſi admoveantur, eædem non comparent: ut ſuſpicioni locus foret, chartæ goſſypinæ conficiendæ aliam rationem fuiſſe adhibitam. Attamen talium ſtriarum, licet politura fere deletarum, veſtigia, in charta Tua Perſica tenuiſſima, quin immo in Hiſpanica Velaſci, mul-

multùm craſſiori, animadvertere mihi videor. Rurſum linei generis ſchedula, clauſulam commentationis Gordonii, Medici Montispeſſulani, ſupra prognoſtica continens nullis ſtriis obducta cernitur: meque in aliis idem obſervaſſe recordor. Hinc nihil definiti ex his petere audeo: juvabit tamen aliquando fortaſſe, ad hæc attendere.

His rite conſtitutis, de variis chartæ ſpeciminibus, ex Hiſpania transmiſſis, non, niſi *plagulam* illam *Sætabicam*, (Obſ. p. 58, 81); deinde *ſchedulam*, ſcripto *Gordonii* defectam, (p. 79 83) cujus modo mentionem injeci; tum *exemplum de libro Eximini*, e membranaccis foliis atque chartaceis mixtim compoſito, petitum, (p. 86); poſtremo *folium codicis Eſcurialenſis*, opera nonnulla Ariſtotelis, in linguam Hebraicam translata complectentis, (p. 90, 91), pro *chartis vere lineis* habere poſſumus. Jam vero Sætabica illa, & quæ tertio loco venit, forfice inſignita, ab ipſo præſtantiſſimo Majanſio, hæc mediis ſæculi XIV annis, iſta ultimis, immo ſæculo XV, tribuitur; adeoque utraque recentioris ſimul ævi agnoſcitur, quam deſideraveras. Sed ſecus de charta Montispeſſulana & Eſcurialenſi ſtatuendum foret, ſi ex annis, in iisdem expreſſis, judicium

cium faciendum ſit.: quod vero tam ſcite impugnaſti, utramque codicis ſaltem apographi eſſe ſuſtinens, poſteriori ævo deſcripti, ut hoc exemplo denuo appareat, quanta circumſpectione opus ſit, ſi in his certi quid tueri velimus.

Ad *Ariſtotelæi codicis plagulam* quod attinet, non negarim, chartæ venuſtatem, ne ipſo quidem ſenio prorſus amiſſam, majorem multo, quam in reliqua charta ſæculi XIII Hiſpanica eam deprehendi teſtatus eſt eruditiſſimus *Perezius*, (Obſ. p. 92), nosque ipſi eam obſervamus, jam ſuſpicionem aliquam ad dubitandum proniori movere. Verum non pari dexteritate, niſi Tuo, Meermanne, ſtudio in litteris Hiſpanicis verſatus, his dubiis ſe expediviſſet.

Schedulæ autem *Montiſpeſſulanæ* propemodum cauſſam ſuſciperem; adeo licet minutæ, ut pollice tegi poſſit. Quod enim ex ſcriptura petitur argumentum, non omni exceptione majus eſt: cum illa in nonnullis, ne ſæculi quidem intervallo, differat; in aliis vero monumentis, eodem & loco exaratis, mira deprehendatur diverſitas. (*f*) Certe litterarum fere eosdem ductus, in do-

(*f*) Id quod, de Progr. cl. Longolii, in relat. noſtris litterariis, exponens, monuit *Gattererus* noſter. (Obſ. p. 44)

documento membranaceo, a Decano & conventu fratrum minorum domus Northuſenſis, Conſulibus & communitati hujus civitatis, ob pomarium ſibi conceſſum, Stendaliæ, anno 1312, dato, obſervare mihi videor. Quidni igitur jam anno 1294, quem innuit ſchedula, eamdem, in Galliis, ſcribendi rationem adhibitam tueremur? Accedit, quod charta hæc cum goſſypina, ea ætate adhuc uſitata, ratione compoſitionis, commune quid habere videatur, dum craſſior aliquantum, & ſtriis, in linea plerumque obviis, deſtituta. Denique etiam verbis amici Majanſii commoveor, qui eam nobis contulit, viri docti, & in tabulariis verſatiſſimi; graviter contendentis, (Obſ. p. 93), eodem, quem ſchedula præ ſe fert, anno, codicem exaratum fuiſſe, idemque ſe probe habere compertum.

At vero, ſi hoc quoque vel maxime concedamus, nihil tamen pro charta linea Hiſpanica evictum erit. Hæc enim, de qua diſſerimus, Gallicæ originis eſt. Novimus autem, *Mabillonium* jam epiſtolam Joinvillei ad Ludovicum Hutinum, qui, annis ab 1314 binis, in Franco-Gallos imperium tenuit, ejusmodi charta ſcriptam detex-

is-

iſſe. (*g*) Clariſſimusque *Bullettus*, quod Tuo, Meermanne, indicio debemus, (Obſ. p. 14), nuper documentum, anno 1302 datum, Veſontii reperit. Hinc probabili maxime ratione ſtatueremus, jam aliquot annis ante, hoc papyri genus in Gallia fuiſſe adhibitum. Sed quantæ raritatis fuerit, exinde optime colligitur, quod celebratiſſimi in hoc ſtudio viri, in ſpeciminibus antiquioribus conquirendis, operam ſuam perdiderint. Quocirca tanto minus inique integer codex, qui charta linea, eo tempore, conſcriptus prædicatur, dubiæ habebitur fidei, uſque dum de hac aliunde ipſi conſtet.

In Hiſpania vero, vel ipſis illis tribus ſchedulis comprobantibus, ab eodem Majanſii amico, præter memoratam lineam exhibitis, eodemque ſcitiſſimo interprete, uſus chartæ bombycinæ atque goſſypinæ certe uſque ad annum, quem ex iſtarum una eruit, æræ Hiſpanicæ 1397, ſive Chriſtianæ 1359, viguit. (Etenim, qui in litteris Majanſii, typis mandatis, expreſſus eſt annus æræ Chriſtianæ 1339, (Obſ. p. 80), obnoxius levi errori; quod ab anno æræ Hi-

(*g*) *Mabill. de re dipl. Lib. I. cap* 8, *pag.* 39.

Hiſpanicæ 1397, tantum 38 anni ſubducendi ſint.) Viguit igitur procul dubio anno adhuc 1367: quo vitam & acta divini Servatoris *Franciſcus Eximini* volumine conſcripſiſſe fertur, ex membranaccis foliis linteisque, vicibus alternis ſibi junctis, conſtante: ex quo exemplum chartæ ſingularis plane, iſtamque ætatem ſuperantis, & hinc ſuſpectæ fere elegantiæ, Tibi transmiſit Majanſius. (Obſ. p. 86). Cumque, præter hoc, nullum, ex univerſo ſæculo XIV, obtinueris Hiſpanicæ chartæ ſpecimen: (Codicem enim Hebraicum, cujus folium tenemus, ne iſtius quidem ævi agnoſcis): inde colligimus, vix dum lineam chartam, niſi valde inſolenter, in Hiſpania fuiſſe adhibitam. Meretur quoque id attendi, in iſto volumine Franciſci Eximini, non magnæ, ut mihi perſuadeo, molis, chartas lineas diverſarum officinarum deprehendi, diverſis quippe illarum ſignis a ſe invicem diſtinctas. Quod argumentum præbet, quam repertu difficilis illarum exigua ſaltem fuerit copia. Immo erit fortaſſis, qui exinde eliciat, omnem chartam lineam tunc temporis ex aliis regionibus in Hiſpaniam fuiſſe invectam: prouti ex Hollandia, noſtro adhuc ævo, exteri chartam optimam petunt, cum ad il-

lam

lam ea venuſtate perficiendam, vel præſtans ſatis materia; vel loci, aquæ, aliarumque rerum opportunitates; vel artis ad id faſtigium periti deſint: tametſi in charta vulgari condenda non infelicem operam navent opifices. Recentiori certe tempore eo res rediit, ut longe maximam, quam annue conſumunt chartarum partem Hiſpani, illam ab exteris adferendam ſibi curent; potiſſimum ab Genuenſibus: de qua re *Uſtarizium*, virum eximia intelligentia præditum, & ardentiſſimo in cives ſuos affectu animatum, in præclaro de commerciis opere, graviter conquerentem legimus. (*b*) Immo, calculis poſitis, ſtatuit idem, circiter quinquies centena Piaſtrorum millia huic negotio quotannis impendi: ingens enim chartæ vis ulterius ad provincias ditionis Hiſpanicæ Americanas deportatur. Quam vero ipſa Hiſpania chartam, at minime magna copia, parat, illam, ut ſolent propria contemni, vario vitio laborare æſtimant indigenæ: certe non ejusdem cum exotica albedinis eſt. Genuenſem autem quod præferant, illud exinde

(*b*) *Theorie & pratique du Commerce & de la marine. chap. 85, pag. *35-44*.*

de fieri, ſive Uſtarizius, ſive interpres illius Gallicus annotavit, quod ſingulari glutine tincta, firmata eſſet, quod fugerent vermiculi, in terris auſtralibus, chartæ nimium inſidiantes, a quibus chartæ Gallicæ, Batavæ, reliquæ, non æque cautum crederent. Genuenſes tamen fragmenta lintea pro chartis conficiendis, in ipſa Hiſpania, præcipue in Andaluſia, conquirunt: ut adeo, ſi vellent in illa re elaborare Hiſpani, non neceſſum illis eſſet, chartam ab exteris emere. At vero neque texendis linteis, neque lino colendo ſatis ſtudent; ſed permagnam utriusque copiam aliunde arceſſunt, vel ſibi advehi patiuntur. Quare, ſi vel maxime chartæ condendæ curam haberent, illam nihilominus ex aliena materia forent fabrefacturi, niſi & iſti indigentiæ proſpiciant, conſulant.

Mirum, ſuſpicor, nonnullis, Veſtra legentibus, videbitur, Majanſium, virum cum primis perſpicacem, atque in hiſtoriæ patriæ monumentis evolvendis, ſcrutandis, frequenter occupatum, quid inter utramque chartam intercedat diſcriminis, neve jam olim compertum habuiſſe, neve ex collectis, ſua ipſius opera, undique ſpeciminibus, cognoviſſe, immo vero de uno atque altero

alie-

alienum ab Tua ſententiam ſtudioſe tuitum eſſe. Neque infitias ibo, hunc memet, ſub initium, pupugiſſe ſcrupulum. Sed iſtum, prout debui, protinus excuſſi: cum *Muratorio* ſimile quid eveniſſe recordarer, cui certe ad tabularia publica aditus multo fuerat promtior. Credo ſollertiſſimum Virum, tantum de rebus ipſis ſollicitum, quæ ad materiam codicum facerent, minus curaſſe. Præterea ſummopere probabile, volumina, e chartis goſſypinis compoſita, in Hiſpania ſæpius obvia cerni; ut, hac ratione, oculus, illis intuendis penitus adſuetus, nil peregrini in iisdem obſervet: quod ſecus apud nos ſe habet, cum non niſi codices Arabicos, vel alia Orientis lingua conſcriptos, & Græcos, in charta xylina poſſideamus. Qua de cauſſa non admodum difficulter noſtrates utriusque chartæ folia a ſe invicem diſcreturos exiſtimem, niſi externa facie, ut in nonnullis contingit, nimium ſibi ſimilia ſint.

Quod autem, cum olim, tum recentius, eruditorum Germanorum aliqui adeo vage, & contra ea, quæ jam cognoſcimus, de charta goſſypina, inprimis Europæa, ſcripſiſſe legamus, id vero ſive illius in noſtris terris inſolentiæ, ſive præconceptæ de ejus

 in-

indole in animo opinioni erranti, tribuimus. Contraria vice *Leonem Allatium*, qui, Græcus natione, inter Italos vitam degens, chartæ diverſæ apud utramque gentem uſu probe perſpecto, quod illa goſſypinam, hæc lineam adhibebat, in animadverſionibus in Inghirami fraudes, jam centum & pluribus retro annis evulgatis, de utriusque chartæ diſcrimine tam luculenter diſſerentem percipimus, ut oculatum in hoc argumento hominem facile agnoſcas. (*i*) Quod licet omnino laudi illi ſit, tamen, pro commoda, quam præ aliis nactus fuerat, occaſione chartæ curatius dignoſcendæ, & cum ex inſtituto rem egerit, inde univerſæ liti, acerrimo ſtudio ab ipſo ductæ, maxime conſulturus, non tantopere miramur. Miramur autem, *Nigriſolium*, Medicum Ferrarienſem, in ſuis de charta in univerſum litteris, erudite & eleganter alias perſcriptis, muſæoque Minervæ Venetæ inſertis, (*k*) has Allatii obſervationes plus quinquaginta annis ſuperiores, non in uſus ſuos convertiſſe, de-

(*i*) *Anim. in antiquit. Etruſcas fragm. ab Ingh. edita. pag.* 134.

(*k*) *La Galleria di Minerva. Tomo terzo, pag.* 249-260.

deque charta linea taliter expoſuiſſe, ac ſi goſſypinam plane ignorarit.

Quis vero hæc de Majanſio vel ſuſpicaretur? Sed inſidet optimo Viro, quam uno atque altero litterarum loco aperte prodit, aliena de chartæ *goſſypinæ* indole ſententia, (Obſ. p. 86, 88.): ex qua potiſſimum, quæ contra Te, pro ingenii ſui ubertate, diſputavit, repetenda ducimus. Quid igitur? ſi ab humaniſſimo Sodali precibus, communiſſime Meermanne, contendas, ut chartæ, quam ipſemet generis goſſypini habet, ſpecimen aliquod Tibi mittat? Fortaſſis vel ad aſſenſum, ultro Tibi præbendum, commovebitur; vel inopinati quid, & ſingulare detegetur, ex quo dubitatio primum exorta, hinc ſuſtentata fuit; ſive quod, quacunque ratione, ad rem noſtram faciat.

Cumque præterea, & ab goſſypina, & ab linea, chartam *bombycinam* diſcernat Majanſius, (Obſ. p. 87, 89.), intererit noſſe, qualem hanc ſtatuat. Sollemne enim nobis, ex conſuetudine Græcorum medii ævi, omnisque Italiæ hodierno uſu, quam goſſypinam, ſeu cottoneam, alias dicimus, eam & bombycinam appellare: quod argumentis etiam, in medium prolatis, *Montfauconius*

nitus eſt. (*l*) Quin immo jam ab *Plinio* lanuginem xylinam *Bombycis* nomine inſignitam legimus. (*m*) Majanſio autem bombycina charta eadem videtur eſſe, quæ ſerica. De hac vero an omnino confici poſſit? quæſtio admodum dubia. Rerum certe Chinenſium gnariſſimus *du Halde*, expreſſis verbis contrarium aſſerit. (*n*) Nihilominus mox & chartæ ex fragmentis ſericis & cannabinis maceratis, & in pultem reſolutis, ad noſtratium plane rationem, apud Chinenſes confectæ, idque jam primo a nato Servatore ſæculo, mentionem injecit; & præterea chartæ ab Coreenſibus ex involucris bombybycum, ova mentientibus, pari modo elaboratæ: (*o*) quæ quo pacto conciliari inter ſe commode poſſint, non equidem video. Utcunque vero illa ſe habeant, experimentis in Gallia recenter inſtitutis, & ab clariſſimo *de la Lande*, in pulcherrima de charta con-

(*l*) *Montf. Palaeogr. Græca*, *pag.* 17, 18. *Memoires de Litterature*, *Tom. IX*, *p.* 323.

(*m*) *Plinii hiſt. nat. Tom. II*, *ed. Hard. Lib. XIX*, *Sect. II, III*, *p.* 156.

(*n*) *Deſcription de l'Empire de la Chine*, *par du Halde*, *Tom. II*, *p.* 287.

(*o*) *Pag.* 288.

conficienda diſſertatione, (p) adductis, utique conſtat, non, niſi difficillime, ex materia ſerica chartam parari; paratam vero ſuis ſat multis incommodis laborare. Ex quo conjicimus, neque antiquitus eamdem in terris Europæis in uſu fuiſſe; adeoque bombycinam illam omnem eſſe goſſypinam.

Nihilo ſecius argumentatione erudita, & maxime acuta, pro chartæ lineæ majori in Hiſpania antiquitate, ſuperiorem nobis adhuc agnoſcimus Majanſium, futurumque, pro eo, quo excellit ingenii acumine, facile prævidemus. Cum tamen miræ jucunditatis res ſit, cum Viro tantæ doctrinæ diſſerere, ingenioque accendantur ingenia: experiamur, an adverſus ratiocinationes, diligenter ab illo conquiſitas, quædam ſuppetant, quæ ad illarum vim infringendam aliquantum valeant. Ex his primo nobis loco ſit, non, ubicunque lini appellationem uſurpent auctores antiqui, ibi ſemper herbæ ad inſtar creſcens, quod præcipue iſto nomine comprehendimus, inſigniri. *Plinius* ipſam goſſypinam lanuginem linum nuncupatam, retu-

(p) *De la Lande Kunſt Papier zu machen, pag.* 160, 161.

tulit: (q) &, quod toto orbe, ob ſummam ſubtilitatem, celebratum novimus, *byſſinum* teſte Philoſtrato, ab Harduino laudato, (r) ex arbore, populi altitudine, ſalicis folio, petitum fuit. Non igitur extra omnem controverſiam poſitum, cui Sætabica lina generi accenſenda ſint; ſive gramineo, ſive xylino?

At largiamur, graminei eadem fuiſſe, quod verba Plinii fere innuunt, telasque ex illis præſtantiſſimas textas: ne ſic quidem evictum autumem, chartam, quam, ſingulari decore conſpicuam, Sætabi confectam prædicat Geographus Nubienſis, ex materia linea fuiſſe paratam. Simillima enim concludendi ratione efficerem, eodem tempore, in Italia, in Græcia, in Ægypto, in Orientis terris, chartam lineam fabrefactam fuiſſe: quandoquidem in omnibus hisce regionibus linum, ab antiquiſſimis jam temporibus, cultum conſtat. De Italia quidem Majanſius hoc fortaſſis ultro concederet: immo vero, pro ipſius ſententia, iſtud contendere neceſſe

fere

(q) *Hiſt. nat. Tom. II, p.* 156 Superior pars Ægypti in Arabiam vergens gignit fruticem, quem aliqui Goſſypion vocant, plures xylon, & ideo *lina* inde facta xylina.

(r) *Plinii hiſt. nat. Tom. II, pag.* 157, *nota* 4.

fere eſt; quin etiam de Galliæ, ab mutuum barum terrarum cum Hiſpania commercium. Verum tamen in his contraria ſuadent oculatiſſimorum hominum in detegendis chartæ lineæ iſtius ævi reliquiis irriti labores. Sed de Græcia habemus ipſius *Leonis Allatii* inſigne teſtimonium, adfirmantis, Græcos, licet & telas linteas confeciſſent, & ſenio detritas multifarie adhibuiſſent, non tamen, niſi ex bombycina textura, vel ipſo bombyce, chartam elaboraſſe. (*ſ*) Ex Aſiaticis demum terris, & Ægypto quis unquam lineam chartam adportatam vidit?

At urget Majanſius (Obſ. p. 89.) goſſypium non plantam indigenam eſſe; ſed recentius aliunde advectam; neque illius circa Sætabin fuiſſe aliquam copiam, quæ chartæ inde parandæ ſuffeciſſet. Novi equidem, noſtris temporibus, goſſypium in Hiſpania rarius coli: indeque factum exiſtimo, quod nec

(*ſ*) *Allatii animadv. in antiqu. Etr. fragm. Ingb. p.* 134. In univerſa Græcia — quamvis telam ex lino conficerent, eamque, vetuſtate ſolutam, in alios atque alios uſus converterint, nunquam tamen ex hujus modi linteis contritis, ſed tantum ex tela bombycina, & bombyce ipſo chartam confecere.

nec *Uſtarizius*, nec *Ulloa*, (*t*) excellentiſſimi homines; civibus ſuis conſulturi, illius, inter reliqua, quibus majorem operam dicare deberent, mentionem injecerint. Colitur tamen in plaga meridiana, verſus Granadam, tractu Alcavachelenſi, circa Ecijam, vel Exijam, civitatem; nec infelici ſucceſſu: idque *Bueſchingio* credimus, (*tt*) accuratiſſimo, ſi quis alius, Geographo; qui talia, ni fallor, ex theatro univerſali Hiſpaniæ clariſſimi *de Garma y Salcedo*, quo uſus eſt, nos vero deſtituimur, deduxit. Ex hoc vero quidni argumentum peteremus, goſſypium olim a Mauris, doctrina artibusque florentiſſimis, etiam in ipſa Hiſpania, (namque de Africæ regionibus nemo quidem ambigit), majori multo ſtudio fuiſſe propagatum, & ab iis in reliquas provincias traductum; texturæ certe bombycinæ magnam vim quotannis ſive venditam, ſive cum aliis mercibus permutatam? ut adeo abunde haberent & Toletani & Valentini, unde chartam efficerent, ſi vel in proprio fundo goſſypii pro-

(*t*) *Retabliſſement des manufactures & du commerce d'Eſpagne par Don Bernh. de Ulloa.*

(*tt*) *Bueſchings neue Erdbeſchreibung. 2tes Theil*, *pag.* 107.

proventu caruiſſent. Sed ne hoc quidem eos omnino deſtitutos fuiſſe mihi perſuadeo: tametſi neque in annalibus ejus rei mentio facta ſit, quod quippe in permultis deſideramus, neque culti in his provinciis goſſypii veſtigia adhuc ſuperſint. Ipſa *Sætabis*, (ſi vera perhibeantur, ex illa recentiorum Xativam ortam), patrum demum memoria, exitium ſuum experta eſt, novo, ex illius ruinis, oppido, San Philippe, nova gratia, exſurgente. Quanto hinc majores permutationes alia, quæ iisdem obnoxia magis cenſenda ſunt, ſubiiſſe credamus, agros, hortos, plantaria? Sufficit, ipſum Majanſium, præterlapſo anno, habuiſſe goſſypii plantas, hominis ſtatura proceriores, (Obſ. p. 76). Non igitur natura præpediuntur, quominus apud Valentinos proveniant, excreſcant, fructusque ferant. Quin immo tales, ſub cœlo frigidiori, in horto Regio Pariſino, productos, ſe vidiſſe *Harduinus* afferuit. (v) Memini quoque, me, in eximio de commer-

(u) *Plinii hiſt. nat. Tom. I, pag. 143, nota Hard. 16. Martiniere Geogr. Lexicon, Tom. IX, Sætabis.*

(v) *Plinii hiſt. nat. Tom. II, pag. 156, nota 30.*

merciis opere *Savarii*, aliunde excerptum legiſſe, (x) Hungariam tantum goſſypii gignere, ut neceſſitati ſufficeret. Iſta tamen a laudatiſſimo *Bucſchingio* non comprabata invenio. Sed de inſulis nonnullis Græci archipelagi, Santorina, Thermia, Syra, ſub eadem cœli plaga cum Hiſpaniæ provinciis Auſtralibus jacentibus, res plane evicta eſt. (y)

His rationibus commotum me profiteor, ut quidquid de charta, ſeu papyro iſtius ævi habeant ſive ſcriptores Hiſpani, ſive leges Regum, illud de charta goſſypina, Tuo, Meermanne, exemplo, interpreter. Alia tamen inſuper occurrunt, quæ in Partitis Alphonſi ſapientis, ſub *pergameni pannei* nomine, (Obſ. p. 5, 63), quid intelligendum ſit? magis adhuc, ex mea quidem ſententia, evincant. Nimirum agitur, iſto loco, de documentis, quibus adjungi debeat, *Sigillum cereum pendens*. (Obſ. p. 63). Iam vero quæcunque fidem tuentur diplomata

(x) *Dictionnaire univerſel de Commerce, de Savary: Cotton.*

(y) *Bueſchings Vorbereitung zur Kenntniſs der geogr. Beſchaff. u. Staatsv. der Europ. Reiche, 2te aufl. pag.* 33.

ta chartacea linei generis, non appenſum ſigillum, ſed *impreſſum*, ſive in inferiore ſcripturæ parte, ſive in tergo, monſtrant. Sunt vero hæc oppido longe rariſſima, & vix ſingula ex ſæculo XIV laborioſe collecta, & illa quidem tantum in Germania & Britannia (z): procul dubio, quod conſultum minus viſum fuit, materiam adeo caducam monumentis adhibere, quæ per ſæcula durare deberent; ſive quod error, in ſcribendo admiſſus, mox æque in charta deleri poteſt, ut in membranis; in quibus tamen nec raſuras notabiles paſſi ſunt majores. Sed in charta goſſypina, utpote quæ craſſitie & lævitate membranarum ſimilitudinem refert, diplomata conſcribere ſollemniter, iſto ævo, ſaltem in Italia, uſurpatum fuiſſe, cum documenta, quæ, ex Sicilia protracta, adduxit *Montfauconius*, comprobant; (zz) tum divi Friderici II, in conſtitutionibus Siculis, ſanctio, quam ex iiſdem, litteratiſſime Meermanne, primus eruiſti, (Obſ. p. 4); qua illa conſuetudo partim abrogata, partim pro-

vide

(z) *Philoſoph. Tranſactions. Vol.* 23, *pag.* 1515.

(zz) *Montf. Palæogr. Græca, Lib. I, cap.* 2, *pag.* 19.

vide circumſcripta eſt. Non igitur mirum, eumdem morem quoque in Hiſpania viguiſſe. Sigilla vero, ad exemplum diplomatum in membranis exaratorum, goſſypinis illis appenſa fuiſſe conjicimus. Plurimum tamen cum huic controverſiæ, tum univerſæ rei diplomaticæ, præcipue Hiſpanicæ, profuturum judicamus, ſi talia ex tabulariis conquiſita, curatiori acutiſſimi Majanſii ſubjicerentur examini.

His meis argumentis, hinc inde congeſtis, tametſi nonnihil tribuam, & Temet ipſum, præſtantiſſime Meermanne, fortaſſis aliquantum conceſſurum confidam: nondum tamen rem omnem penitus confectam aſſererem. Huc usque enim Majanſio Tuo modo contigit, ex uno atque altero tabulario, aut bibliotheca, chartæ quædam ſpecimina traducere. Quid vero? ſi doctiſſimi viri, quibus cura aliorum, in Hiſpania, demandata eſt ſive tabulariorum, ſive bibliothecarum, quorum eximiæ antiquitatis, & inſtructiſſima permulta ibidem novimus, exemplo humaniſſimi Perezii excitati, excutiendis, hac mente, priſcis voluminibus, monumentisque operam ſuam impendant, (Hoc certe illos, pro eo, quo in ſummi nominis civem affectu eos credimus, præſtituros arbitramur.) Annon veren-

rendum, ne tandem aliqua detegantur, quæ contrariæ ſententiæ faveant, quibusque noſtra cadant? Non quidem exiſtimarim. Sed detegantur licet. Tibi enim, Meermanne, non aliud propoſitum fuit, quam, quæ in hac re veriſſima ſint, inquirendo reperire: nobisque idem animus. Sibi vindicet Hiſpania, ſi fata concedant, chartæ lineæ inventionem; ſed ita vindicet, ut jure eamdem ſibi vindicaſſe videatur, ipſoque pronunciante æquiſſimo Majanſio.

De cunctis vero remotiorum ſæculorum chartaceis documentis Hiſpanicis, a quibus, in elegantiſſima diſſertatione, argumenta deſumſit vir eximius, nullius penitius pernoſcendi tanto tenemur deſiderio, ac *vocabularii Silenſis*, ante annum minimum 1090 conſcripti. (Obſ. p. 49-54). Non quidem crederem, iſtius auctoritatis homini, qualem Majanſium ſuſpicimus, rem adeo difficilem fore, folii ex illo codice vel particulam impetrandi. At ſcimus, quam harum reliquiarum tenaciſſimi ſint, quam in iisdem tuendis propemodum ſuperſtitioſi, qui illis digne perfrui omnium minime intelligunt. Hæc, ſuſpicor, Valentino Tuo, vere Generoſo, impedimento fuiſſe, quo minus voto

ſuo

ſuo potiretur: & ne ulterius futura ſint, periculum eſt.

Diutius paullum Majanſii hæc nos tenuerunt: adeo nimirum ſecundam diſſerendi nobis præbuere materiam. Nunc etiam paullisper in reliquis. Ex his primum *ſchedula* illa impenſius delectati ſumus, quam, ab perilluſtri *Senckenbergio* Tibi transmiſſam, nobiscum communicaſti: cum quod ad rem, in medium propoſitam, magis illuſtrandam & ipſa conducit; tum vero, quod a Sodali Regiæ Societatis, de cujus in illam voluntate abunde nobis conſtat, Tibi, dulciſſimo Sodali, ſuppeditata eſt. Cernitur autem, curatiori examini ſubjecta, qualem eam ſtatuis, mixti omnino generis; linei, ob majorem albitudinem, ob flexuum faciliorem perpeſſionem, ob ſtrias demum, in chartis lineis plerumque expreſſas; goſſypini vero, ob ſimiliorem membranis externam faciem, & ab lævitate ſplendorem. Quocirca cum, auctoritate tanti Viri niſi, de anno, documento adjecto, 1308, nil ambigamus: veroſimillimum nobis videtur, circa id fere tempus cœpiſſe chartæ lineæ initia; & hinc in quibusdam locis Germaniæ, Italiæ proximis, materiæ lineæ quidpiam goſſypinæ tantiſper fuiſſe admixtum.

Im-

Immo etiam hoc chartæ genus ex Italia in Auſtriam invectum dixerim? (a) cum, ſingulari ſua elegantia, Fabrianarum officinarum præſtantiam fere adæquet; &, quod goſſypina maxime delectarentur Itali, ideo ad ejus ſimilitudinem fuiſſe fabrefactum, politum. Licet enim, ſub auſpiciis Fridericorum, & litteræ & artes apud Germanos egregie floruerint, ut & conficiendæ chartæ eos rationem habuiſſe contendi poſſit: tamen huic rei non magnopere ſtuduiſſe illos, opiner, quoad ex materia tantum goſſypina, qua deſtituebantur, chartam parari debere, perſuaſum illis fuit. Adeoque quidquid fere chartarum ab iisdem adhibitum, aliunde, ſeu a Byzantinis & Græcis, ſeu ex Italia, advectum fuiſſe conjicio: quod vel ipſa chartæ goſſypinæ, ex illis temporibus, ſumma, in tabulariis Germaniæ, inſolentia prodit: cum leviſſimæ etiam ſcripturæ in membranis exaratæ compareant. Saltem diffido, chartam iſtius decoris, quo ſymbolum Senckenbergii ſplendet, eo quidem tempore, in Germania prodiiſſe.

Huic

(a) Et eatenus quidem aſſentior illuſtr. *Maffei*, chartæ lineæ inventionem Italis ſuis tribuenti, *Iſtor. dipl. p.* 77.

Huic meæ conjecturæ gratiam certe conciliant obſervationes *Gottſchedii* & *Belii*, clariſſimorum Virorum, de *codice antiquo carminis Thomiſci Trimbergii*, ludi quondam in Bambergæ ſuburbio magiſtri, (*b*) in bibliotheca Lipſienſium Paullina adſervato: quas iisdem Tua, illuſtris Meermanne, admonitione elicitas, cum voluptate haud mediocri, in ſchedis opuſculi Tui, legimus. (Obſ. p. 17-25.) Adjectus nimirum iſti codici, ſub finem, annus, quo deſcriptus fuit, 1312; literarumque is habitus, ut ad ſæculorum XI, XII, & ex parte quoque XIII, venuſtiores ductus accedant, tantoque hinc magis codici de ætate ſua conſtet. Charta vero, quæ linea ab utroque declaratur, adeo craſſa, rudis, aſpera deprehenditur, ut Gottſchedio vel his mendis viſa ſit, artis nondum excultæ, ſed in primordiis verſantis, indicia prodere. Ejusdem indolis ſi in uni-

(*b*) Titulum huic poëmati adſcripſit auctor, *der Renner*, *Curſor*, ſive *Pediſſequus*; ad opus ejusdem indolis, pro genio ſæculi, alludens, antea ab illo inchoatum, ſed non abſolutum, *der Sammer*, *Colligens*, tamen avide a plurimis lectum; quod noviſſimum ſcriptum, preſſo quaſi pede inſequeretur. *Morhofs Unterricht von d. Deutſcher Sprache*, *cap.* 7. *pag.* 355.

univerſum charta linea fuerit, profecto non miramur, litterarum ductus pedetentim a priſtina venuſtate in fœdam illam deformitatem deflexos, quam in ſcriptura ſæculi XIV & XV ineuntis horremus. Hanc certe iſtius ruſticitatis cauſſam non levem credidit eximius *chronici Gotwicenſis* auctor; (*c*) tametſi, quanta ad illam, late per omnia dominans, barbaries contulerit, probe perſpexit.

De *codice Lipſienſi* jam dudum quidem priſci ſermonis patrii curioſis innotuerat, illiusque etiam mentio injecta reperitur, in præfatione, apologis Theoxiſtis, præmiſſa; (*d*) ſub Imperatoribus e gente Suevica, ab nobili poëta contextis, & doctis præſtantiſſimorum Tigurinorum curis, aliquot abhinc annis, evulgatis. Sed adeo accurate de eodem antea nondum fuerat expoſitum: niſi fortaſſis clariſſimus *Gottſchedius*, in ſingulari ſcripto, quod de ipſo poëmate Trimbergii edidit, a memet vero non viſo, id præſtiterit. De hoc tamen addubitem: certe, in lexico elegantiorum litterarum & artium, quod, aliquot abhinc annis, illo operas

(*c*) *Lib.* 1. *cap.* 6. § 3. *pag* 61.
(*d*) *Fabeln aus den Zeiten der Minneſinger Zürich*, 1757, 12.

ras dirigente, prodiit, annus exarati iſtius codicis perhibetur 1304: (*e*) eum, recentiori examine adhibito, nunc anni 1312 reperiatur. Quæ licet alioquin levia ſint, hic tamen attendi merentur. Habebitur nihilominus in poſterum omnium, qui linea charta conſcripti ſunt, in Germania antiquiſſimus, niſi vel uni reliquorum in eadem bibliotheca conſpicuorum, vel, aliunde protracto, alii cedere teneatur? Tuo vero, Meermanne, fulgeat nomine, cum, fauſto tuo ſidere, ad hanc dignitatem evectus ſit. Poſtremum occupemur in *inſigni* iſto *chartæ bombycinæ documento*; cujus quidem eruditiſſimus *Cannegieterus* brevibus ſaltem verbis, in litteris ad te datis, meminit, (obſ. p. 101); quod vero, ſi probatæ fidei ſit, ſi autographum, ſummæ profecto raritatis cenſeri convenit. Eſt nimirum diploma Henrici IIII, Imperatoris, anno 1077, V Calendarum Junii, Wormatiæ datum: quo eccleſiæ Ultrajectinæ, ad reſarciendum damnum ex conflagrata, magno incendio, incuria aulicorum, baſilica Divi Petri, prædium ampliſſimum, in Velavia ſitum, largitus eſt: deſcrip-

(*e*) *Worterbucb der ſchonen Wiſſenſcb. pag.* 1391.

ſcriptumque in *Hedæ* hiſtoria Trajectenſis epiſcopatus legitur. (*f*) Videtur autem incendium illud anno ſuperiori 1076 contigiſſe, utpote quo Henricus, circa Paſchatos ſolemnia, Trajecti verſaretur, celebremque illuc conventum conſcripſerat, vivente adhuc Wilhelmo Epiſcopo, Imperatori addictiſſimo. (*g*) Cui defuncto ſucceſſit mox Conradus, idem quoque Domino impenſe ſtudens: ut adeo de affectu Henrici in Trajectinos nullum dubium ſit; novo inſuper, eodem anno, documento demonſtrato, quo Staverniæ Comitatum huic ipſi Epiſcopo contulit. (*h*)

Neque dubitationi obnoxium, Imperatorem tunc temporis *Wormatiæ* fuiſſe verſatum, licet, paucis ante menſibus, in Italiam conceſſum, & ibidem ab Gregorio pontifice, ut pervulgata hæc, peſſime habitum. Etenim accepto de Rudolpho, contra ſe electo atque coronato, nuntio, mox, indig-

(*f*) *Edit. Arnh. Buchelii. Ultraj.* 1642. *fol. pag.* 137.

(*g*) *Lambertus Schafnab. inter rer. Germ. ſcript. Piſtorii. Tom. I. pag.* 405. *ed. Struv.*

(*h*) III. Cal. Nov. ſieve 30 Oct. *Heda biſt. Ep. Traj. pag.* 139.

dignatione atque ira animatus, ex Italia, circa paſchatos ſacra, advolans, imperii æmulum ex Suevia ſua ſtatim ejecerat; atque, ulterius eumdem proſecuturus, ad Rheni oram progreſſus fuerat. (*i*) Igitur optime omnia conſpirant, Henricum ad V Cal. Junii (*k*) ſubſtitiſſe Wormatiæ, Rudolpho in Saxonia militem ad novam expeditionem cogente; atque inibi diploma illud fuiſſe expeditum: quatuordecim vero diebus poſt, *Norimbergæ* commoratus eſt: ut litteris cernitur, Sigefrido Patriarchæ Aquilejenſi, conceſſis, Iſtriæ quippe comitatu, & Marchia Carniolæ donato; (*l*) atque, die exinde octavo, *Moguntiæ*, ubi Comitatum in Briſgavia, ademtum Bertholfo Duci, Wernhero attribuit, Argitenenſium Epiſcopo. (*m*) Ex quibus id ſaltem patet, Impe-

(*i*) *Burchardus de caſibus monaſt. J. Galli*, *apud Gold. cap.* 7. *pag.* 71. *ed. Senckenb.* — *Bertholdus Conſtant apud Urſtiſium*, *Tom. I. p.* 347, 348. — *Bruno hiſt. belli Sax. apud Freberum*, *Tom. I p.* 135.

(*k*) 28 Maii.

(*l*) III Id. Junii, ſ. 11. Junii. *Ughelli Italia Sacra*, *Tom. V p.* 58.

(*m*) XV. Cal Julii, ſ. 17 Junii. *Hergott Gen. dipl. Gent. Habsb. vol. II. pag.* 126.

peratorem, eo tempore, in proſequendo bello fuiſſe occupatiſſimum, atque, iſtis in terris, undique ſingula conduxiſſe; nec minus interea devinciendis ſibi Germaniæ præſulibus contra Pontificis Romani irati hoſtileque odium, ſplendidiſſimis largitionibus, maxime ſtuduiſſe. Eatenus igitur diplomati noſtro, omni ex parte, ſatis cautum.

At ambigi poſſet, *Sigefridum*, Archiepiſcopum Moguntinum, quem novimus non modo in partes Rudolphi ſeceſſiſſe, ſed eidem quoque coronam impoſuiſſe, ea rurſus apud Imperatorem valuiſſe auctoritate, ut, inter reliquos, ſua etiam commendatione, quod in diplomate aſſeritur, ad iſtam donationem Trajectinam quidpiam conferre potuerit. Præterea de *Adalberone*, Cancellario, quem, vice Sigefridi, Archicancellarii, memorati modo Moguntiæ ſummi præſulis, documentum recognoviſſe legimus, jam, in *chronico Gotwicenſi*, (*n*) quæſtio prolixius agitata; iſto quidem exitu, ut, ſingulis conductis, pronuntiandum fuerit, nil certi de ipſius perſona effici poſſe. Haberemus tamen, quem quinque Adalberonibus,

(*n*) *Lib. II. cap.* 9. § 15. *pag.* 298, 299.

bus, eo loco enumeratis, Bambergenſi, Herbipolenſi, & tribus Metenſibus, non inepte adjungeremus, Wormatiæ Præſulem, quem Adalberonem nominat eximius *Maſcovius*, in vita Henrici, (*o*) licet olim Imperatori inimicum; ſi modo, ex lege ſibi impoſita, auctoris coævi locum adjeciſſet. Nam eumdem illum *Lambertus Schafnaburgenſis*, probatiſſimus ſcriptor, a quo reliqua petiit, potius Adalbertum dixit. (*p*) De his talibus vero etiamſi diſputari poſſit: durum tamen foret, propterea diplomati fidem denegare; in quo ceteroquin ſingula ſingulis in reliquis Henrici noſtri chartis congruunt.

Sed quæ huc usque ignorata fuere, ſaltem ab Heda, aliisque non memorata, documentum illud *charta bombycina* conſtare, iſta maxime admirationem noſtram movent. Dudum enim inter rei diplomaticæ ſcriptores Germanos convenit, diplomata Imperatorum noſtrorum tantum non omnia membranis fuiſſe exarata. Quid? quod in univerſalem enun-

(*o*) *Maſc. Commentarii de rebus Imp. ſub Henr.* IV. & V. p. 67

(*p*) *De rebus Germ. ed. cit. pag.* 412.

enunciationem hoc convenit ſummus *chronici Gotwicenſis* auctor. (*q*) Attamen adhibeamus levem illam exceptionem, quæ axiomati fere nil derogat, etiam ab *Hertio* poſitam, (*r*) & exterorum exemplis probabilem: omnium nihilominus rariſſimum ſtatuamus oportet, & unicum fere, documentum Trajectinum: cum, quod ſingulari exemplo, aliena materia conſcriptum, tum quod iſtius vetuſtatis ſit, utpote ſeptingentorum propemodum annorum ſpatium implens. Iſtam enim ætatem ne monumenta quidem Sicula Rogeriorum a *Montfauconio* allata attingunt. (*ſ*) Inſuper & vocabularium Silenſe, ex noſtra ſententia in charta bomby-

cina

(*q*) *Lib. II. ingreſſu, pag.* 82. Obſervandum eſt inter reliqua. Communem Regibus & Imperatoribus noſtris Teutonibus ſcribendi materiam *membranam* exſtitiſſe. Quibus plane conſentanea habet ill. *de Gudenus in præf. Sylloges var. dipl. p.* 2. *Omnia* diplomata & libelli cujusque argumenti, ante annum 1280. ſcripta ſunt in *membrana*.

(*r*) *Hertinus de fide diplom. Germ. Imp. & Reg. p.* 337. *clav. Baringii.* Chartæ vulgaris uſus ab annis quingentis invaluit. Et tamen *rariſſime* ea in diplomatis Imperatores uſos deprehendimus.

(*ſ*) (*ſ*) (*ſ*) *Montf. Palæogr. Græca, pag.* 18, 19. *Mem. de Litter. Tom. IX, pag.* 323, 324.

cina conſcriptum, illi cederet; & codex bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis, fide Lambecii, a Montfauconio inter primos Goſſypinos adoptatus. (ſ) Quin immo antiquiſſimi, qui adhuc innotuere in charta bombycina codices, Regius Pariſienſis, anni 1050, (ſ) & bibliothecæ Bodleyanæ, anni 1049 (t) diploma noſtrum paucis tantum annis ſuperarent. Tanto hinc magis efflagitabunt, qui hoc ſtudio delectantur, ut documento huic omni ex parte diligentius examinando atque deſcribendo operam ſuam clariſſimus *Cannegieterus* impendat. in quo, quod confidimus, perilluſtrem *Spaenium*, qui eodem jam fruitur, faventiſſimum ſibi, litteratisque inſuper hominibus bene multis experietur. Quæ ſi prævio indicio reſpondeant, Tibi, Meermanne, duplici de cauſſa gratulabimur: cui quippe contigit, occaſionem præbuiſſe, eruendi in utroque chartarum genere, cum linteo, tum bombycino, monumenti, ſi non ultimæ, quantum novimus, (u) vetuſtatis, huic certe quam proximæ. Nunc

(t) *Philoſoph. Tranſ.* 1703, *Vol.* 23, *pag.* 1515.

(u) Nimirum videntur nobis chartæ *bombycinæ* origines altius, atque ex Sæculo X, repetendæ. Sal-

Nunc jam promiſſa, ſuperius facta, ſolvere meum eſt; atque cum *de ſcripto* Theotiſci ſermonis, *Societati Regiæ*, in eadem de charta linea quæſtione verſanti, *exhibito*; illiusque ſuffragiis præmio ornato; tum *de diplomate Sæculi XIII Rintelienſi*, maxime memorabili, poſtea transmiſſo, nonnulla diſſerere. in quo gratam me Tibi operam præ-

Saltem iſta, quæ de Euangelio Divi Marci, Venetiis aſſervato, recentius ſcripſerunt teſtes oculati ipſi, *Maffei*, (*Iſt dipl p.* 79), atque *Keyſſlerus*, (*Reiſen*, *p.* 1159), proniores nos reddunt ad credendum, illud charta bombycina ſcriptum eſſe. Quem igitur codicem cum Montfauconius, cui tamen papyri Ægyptiaci viſus eſt, ſæculi minimum IV. ſtatuat, (*Diar Ital. cap.* 4. *p.* 55-64. & *Mem. de litt. IX*, *p.*314, 315): propemodum ſuſtinerem, eodem illo jam bombycinam chartam fuiſſe inventam Et ea quidem perſuaſione, *Servatum* quoque *lupum*, Abbatem Ferrarienſem ſæculo IX, epiſtola 16, (*ed.* 2. *Baluzii*, *p.* 35), ad Orsmanum Metropol. Turonum, de codice Commentariorum Boëtii in Topica Ciceronis *chartacio*, ſive, ut, emendatius cum aliis dicturus, adjecit, *chartinacio*, ſcribentem, de charta bombycina interpretaretur. cum alioquin hic locus æque de papyro Nilotica & corticea, ſive philyreia accipi poſſit; adeoque habuerit *Muratorius*, cur hæc in quæſtione reliquerit. (*Antiqu. Ital. Tom. III*, *pag.* 872.)

præſtitorum, mihi perſuadeo. Iſtud vero opuſculum auctori debetur *Joanni Danieli Fladio*, administrationis Palatinatus eccleſiaſticæ hypomnematographo, ſeu Regiſtratori, jam ab Electore Conſiliarii dignitate ornato, Heidelbergæ viventi, viro erudito, reique præcipue diplomaticæ Palatinæ admodum gnaro. Hunc autem de materia propoſita commentandi ordinem tenuit; ut primum per inductionem colligeret, chartam lineam, ante Sæculi XIV initia, nondum fuiſſe adinventam; deinde unum atque alterum ejus documentum, quod ipſe antiquiſſimum offenderat, accurate deſcriptum adjungeret.

Iſtud taliter argumentando confecit: Si, in infinita propemodum documentorum omnis generis copia, nullum omnino quantilibet momenti, Sæculum XIV quod excedat, comperiatur; ſed quævis, ſine ulla exceptione, ſive ad res maximi, ſive minimi pretii faciant, membranis conſtent: ſequitur, ut chartæ lineæ parandæ modus, ante hoc tempus, nondum detectus fuerit. Tabulario autem, per plures annos, ſollertiſſimo auctori frui licuit, monumentis medii ævi quibusvis inſtructiſſimo: ut adeo in hoc ſaltem magna ejus ſit auctoritas. Iam graviter teſtatur,

ad

ad unum omnia, quæ ſæculi XIV initia ſuperarent, membranis conſtare: quin ſchedas illius ætatis tantum de cenſu paucorum asſium agentes, ibidem adſervatas, ſingulas eſſe membranaceas: ex quibus igitur, quæ de termino inventæ chartæ lineæ aſſeruiſſet, colligenda omnino forent.

Sed quæ adjunxit; hæc etiam de toto ſæculo XIV valere; & libros etiam cenſuales omnes iſtius ſæculi tales ibidem cerni; atque, ſub initium XV demum, in chartaceos ſenſim immutatos, ea argumentationi Viri non nihil detrahunt: cum prodant, priſtini inſtituti, uti in talibus fit, tenaciores fuiſſe, qui cenſus curam habuerunt; atque hinc ab chartæ lineæ uſu abſtinuiſſe, licet idem alioquin jam invaluiſſet. Hoc vero, iſta obſervatione, magis comprobatum opinor, quod ſuperius poſui: chartam bombycinam, ſive goſſypinam, in Italia, Hiſpaniaque, trecentis fere annis jam frequenter uſurpatam, in Germania multo fuiſſe rariorem, ſaltem in litteris publicis non, niſi ſingulari exemplo, adhibitam: quod alias fieri non poſſet, quin, inter reliqua monumenta, identidem detegeretur: niſi contendere velimus, papyracea illa omnia a blattis & tineis, a ſitu, ab hominibus, a tempore ipſo fuiſſe deſtructa.

ta.

ta. Cum tamen, medio iſto ævo, maximum Germanorum fuerit cum Venetis, Liguribusque commercium, horumque cum Aſiæ Mineris populis, Syris, Ægyptiis; quo quidquid ex Orientis terris appeti potuit, per omnem Europam transvectum fuit: ægre mihi perſuadeo, Germanos noſtros chartæ bombycinæ, ſive Damaſcenæ, uſu omnino caruiſſe: tametſi illius rariſſime detegantur reliquiæ.

Lineæ vero *chartæ* ſpecimen *Fladius*, ex ſæculo XIV, tantum unicum exhibuit probatæ fidei, quod anni 1377 eſt; cautionem ſcilicet hominis privati, ſigillo cereo in tergo munitam. Quæ enim de litteris papyraceis anni 1342, ex indice quodam, multum recentiori, retulit, ex incertis adſcribimus. His adjunxit litteras feudales Ruperti, Romanorum Regis, Geinheimero cuidam conceſſas, anni 1403, ſigillo Regio, pari ratione, averſo illarum lateri impreſſo. Charta prioris documenti craſſior aliquantum, & tactu aſperior, ſtriis illis ab filis moduli æreis ortis, altius impreſſis; in poſteriori, fere ejusdem, qua hodie maxime utimur, indolis. In hoc altero quoque tauri caput, cruce inter cornua exſurgente, ſigni loco cernitur. Eam vero imaginem, in plurimis

etiam

etiam aliis chartæ lineæ plagulis, ejusdem ætatis, obſervatam a ſe ſcripſit Fladius: ut aliunde certe illa repetenda ſit, quam ab inſignibus gentilitiis dignitatisque eccleſiaſtæ Epiſcopi Camminienſis, Henrici de Wacholt: a quibus quippe illam ingenioſe deduxerat clariſſimus *Heringius*, vetuſtatem chartæ lineæ, in Pomerania fabrefactæ, hoc argumento comprobaturus. (*x*).

Quæ vero fuerat Fladii in ſuſcepto hoc opere diligentia, non tamen ipſi contigit, diploma detegere, quod vel jam cognita *Helmſtadienſe*, anni 1343, & *Quedlinburgenſe*, anni 1389, ætate ſuperaſſet. Quin potius vetuſtiſſimum, quod exhibetur, annis fere quadraginta poſteriori ceſſit: tantum igitur abfuit, ut litterarum Joinvillei, ab Mabillonio uſurpatarum, ſenium attigiſſet. Quod tamen, in materiæ expoſitione, & doctrina & uſu præſtantem ſe demonſtrarat candidiſſimus auctor; rationeque maxime commoda in eadem verſatus fuerat; ſingularémque operam in excutiendis cum antiquis annalibus & commentariis, tum quibus vis

(*x*) *In appendice cogitationum de hodierna charta.* (*Obſ. pag.* 126)

vis aliis illius ævi litteris atque documentis poſuerat, dignum viri ſcriptum cenſuit Regia Societas, cui præmium tribueret.

Utriusque vero diplomatis, ſuperius memorati, notitiam debemus Brunsvicenſium ſchedis, ſub *Indiciorum* nomine, (y) ex conſuetudine aliarum civitatum, ſingulis hebdomadibus, binis vicibus prodeuntibus, & præter capita bene multa, negotiis civilibus popularibusque dicata, etiam obſervationem unam atque alteram eruditam, mox a fronte, complectentibus. Etenim quæſtione, de chartæ linæ originibus, in iisdem, pro inſtituto, adjecta; & deinceps, nonnullis jam in reſponſionem ſcite allatis, rurſum repetita: primum documentum Helmſtadienſe, paullo poſt Quedlinburgenſe productum fuit.

Illud ſacerdoti *Helmſtadino* in teſtimonium emti ab ipſo aliquot jugerum agri; a nobili de Wederten, & magiſtratu Calvoerdenſi, traditum fuit; hincque duplici ſigillo munitum. Sed providus homo de materiæ papyraceæ tenuitate timuiſſe videtur, & propterea a magiſtratu Helmſtadienſi aliud documentum membranaceum efflagitaſſe, duobus

(y) *Braunſchweigiſche Anzeigem*, 1745, 4.

bus tantum annis poſt exaratum, quo prius accurate tranſcriptum legitur, illiusque fides, verbis & ſigillo addito, aſſeritur. [l]

Ad *litteras* vero *feudales Quedlinburgenſes anni* 1339 quod attinet, non illæ quidem dubiæ: habent tamen hoc, quod de *Ermingarde* Abbatiſſa, cujus nomen præ ſe ferunt, aliunde non conſtet. Quid? quod inclytæ Abbatiæ hiſtoriam, iſtis annis, valde perplexam offendimus. *Iuttæ* enim, quæ per triginta annos eidem præfuerat, nomen, anno adhuc 1338 in documentis legitur: eodem vero jam *Luitgardis* occurrit, quam illi ſucceſſiſſe autumamus. Hanc igitur, intra ſpatium vix annuum, *Ermingardis* noſtra excepit. At vero eodem anno 1339, quo iſtas feudales litteras conceſſiſſe fertur eadem, *Iuttæ* rurſum nomen, diplomate quodam, reperitur, ſimillimo plane ſigillo, quo prior uſa eſt, munito. Num hæc proinde eadem, quæ prior, Iutta? an potius has feminas principes perſona diverſas ſtatuere convenit? Ita quidem ſtatuimus. Non tamen controverſia hæc carent: etiamſi, in recenſione Abbatiſſarum Quedlinburgenſium, iisdem Brunſvicenſium ſchedis publicis a docto viro poſtea inſerta, & ac-

curatam operam prodente, eadem ratio ſervata ſit. (z)

Iam de *Diplomate Rinteliensi* dicendum: quod, a clariſſimo *Peſtelio*, illo tempore, in univerſitate litteraria Schaumburgenſi Profeſſorio munere ornato, jam apud Lugdunenſes Veſtros eadem dignitate conſpicuo, Societati Regiæ peramanter tranſmiſſum, in relationibus noſtris anni 1756 litterariis, libello XXVIII, maximam partem deſcriptum habetur. Conceduntur vero eodem, ab Adolpho comite, hujus quidem nominis inter Schaumburgicos quarto, Rintelienſi oppido jura civica: iisdemque adjectus annus M. CC. XXX. VIII. De anno hoc nil diſputabimus: quo quippe Adolphum, ex Livonia reducem, intra religioſorum clauſtra ſe recepiſſe annales *Alberti Stadenſis* atque *Lerbekii* referunt: (a) quamquam alii ad annum 1338 iſta rejiciant. Contra *Spangenbergius*, rerum Schaumburgenſium ſcriptor non ignobilis, anno demum 1340, die Hippolyti, qui

(z) *Braunſchw. Anz. pag 945, ſequ.*

(a) *Chronicon Alb. Stad. Æn. Sylv. hiſt. Frid. III. junctum a Kuſpiſſio, pag.* 310. — *Lerbekii Chron. Com. Schauenb. Tom. I. rer. Germ. Meibomii, pag. 512, notæque Meib. pag. 537.*

qui Augusti 13, idem evenisse, nescio quo auctore asseruit: (b) cujus pariter computandi rationem Bierlingius, in tabulis dissertationi suæ de familia comitum Holsato-Schauenburgicorum additis, secutus est. (c) Desiderari tamen posset, in documento nostro non levis profecto ad res Rintelienſium momenti, nec mensem nec diem expressum esse; quod secus in aliis litteris Adolphi observamus, coenobio Riddagshuſano datis, & a *Falkio*, in codice traditionum Corbejensium, (d) adductis. Sed istis jam non immorabimur: tametsi in monumento talis insolentiæ, fideique vel exinde suspectæ, quod observationibus versatissimorum in his studiis, virorum adversatur, singula attendi, atque in examen vocari mereantur.

Hoc potissimum urgemus, *pensili* illud *sigillo* præditum esse: cum chartaceis alioquin documentis sigilla semper vel a tergo, vel infra scripturam *impressa* cernantur: quod jam ipsius materiæ indoles exigit. Immo vero vel ipsis membranaceis, isto demum ſe-

(b) *Schawenburgische Chronic*, pag. 73.
(c) Prodiit *Dissertatio*, *Bierl. Rintelii*, 1699, 4.
(d) *Parte IX*, § 396, *nota y*, *pag.* 620, 621.

ſæculo, ſigilla per Germaniam communiter appendi coeperunt: antiquiſſimumque ejus generis diploma, a Comite datum, quod vidit perilluſtris *de Gudenus*, Ludovici fuit Comitis Ziegenhainii, anni 1206. (*e*) Ex Imperatoribus autem jam Fridericum primum ſigillo appenſo aliquando uſum fuiſſe; ab eximio *chronici Gotwicenſis* auctore, (*f*) documento minime fallaci, evictum: cum tamen iſtum morem ab illius demum obitu ortum, *Heineccius Eckhardusque* perhibeant; (*g*) idemque vel ipſi *Gudenio* pariter perſuaſum fuiſſe videatur, illius dum initia ad annum 1090 retulit. (*h*) At diplomatibus, chartaceis, de quibus accurate relatum legimus, univerſis, ſigilla fuere impreſſa: id quod etiam clauſulæ verbis indicare conſueverunt. Ex his, ut alia taceam, illa modo argumenti loco ſint, quorum in præſenti

(*e*) *Præf. Sylloges var. dipl pag.* 27.

(*f*) *Diplom. Abbatiæ San-Emmeracenſi, anni* 1157. *Chron. Gotw. Lib. II, cap.* 13 § 4, *pag.* 361.

(*g*) *Heineccius de ſigillis, Parte I, cap.* 16, § 4, *pag* 170. — *Eckhardi introd. in rem. dipl. p.* 90.

(*h*) *Præf. Sylloges var. dipl. pag.* 18.

ſenti opuſculo, Tuis, Meermanne, conſiliis enato, mentio facta eſt; unum clariſſimi *Longolii* de Friderico Auguſtano Epiſcopo, (Obſ. p. 34) & bina *Fladii* noſtri. Idemque in tabulario Holzſchuherorum, monumentis omnis generis refertiſſimo, conſtanter obſervavit præſtantiſſimus, nobisque conjunctiſſimus *Gattererus*, vir magnæ in re diplomatica auctoritatis: cujus quoque animadverſionis iſta ſunt, quæ, in præfatione inſignis de illa Gente operis, ſuper diplomate quodam, diverſæ ab reliquis ejusdem temporis conditionis, diſſeruit. (*i*) Ex quibus omnibus colligo: documentum Rintelienſe ut maxime controverſum eſſe: quam etiam de illo ſententiam clariſſimus *Hauſelmannus* prodidit. (*k*) Ni-

(*i*) Litteræ ſunt *Frider. Holzſchab.* equ. Teut. ord. datæ 1389 eæque chartaceæ; cereo ſigillo, contra morem illius ſæculi in membranis, non pendulo, ſed impreſſo. De quo verba clauſulæ: Dez zu urkunt — *drucke* ich Bruder Fridrich Holzſchuer Teutz Ordens mein aygen Inſigeln an diſſe Schrift. *Præf. pag.* 8. & *in cod. dipl. pag.* 79.

(*k*) *In der weiter erläuterten und vertheidigten Landeshoheit des Hauſes Hohenlohe*, *pag.* 323 *ſequ.* (*Longoli charta indubie lintea.* § 13. *Obſ. pag.* 36.)

Nihilo tamen ſecius non impugnabimus, tale diploma illi oppido olim ab Adolpho Comite fuiſſe largitum; ſed, ex conſuetudine illius ſæculi in membrana: quod caſu quodam infelici intercidit. Iſtud vero, quod jam in charta linea ſervatur, apographum videtur, antiquitus accurate deſcriptum; atque, litteris authenticis deperditis, ſigillo aliquo priſco, ad inſtar diplomatis Lindavienſis, ornatum, ut illorum loco eſſet. Sigillum autem cera alba conſtat; ſed adeo ab tempore exſiccata, deraſa, atque friabili, ut, quod ſymbolum retulerit, ægre dignoſſi poſſit. Charta tenuiſſima, ſecus ac in vetuſtioribus aliis ſpeciminibus, reperitur: eidemque, ea de cauſſa, aliud recentius folium adglutinatum.

Hæc talia cum in documentis obveniant, de quibus nihil olim dubitationis, peritis etiam in his ſtudiis hominibus, enatum eſt; confidimus, doctos viros, quibus aliorum in charta linea monumentorum indicia debemus, eadem novo rurſum ſubjecturos examini. In hoc vero permulta, ad ſcribendi rationem litterarumque ductus quæ pertinent, ab arte diplomatica, etiam in codicibus, petenda. Sed ſumma licet in his cautione verſemur: tamen, quod in

ta-

talibus coævi quoque mirifice inter ſe differant, quodque, ſæculo recentiori, exemplum antiqui codicis ſumma cura repetitum eſſe poſſit, tantaque diligentia, ut ne in apice quidem peccatum videatur: ex his ſi quædam colligamus, niſi alia accedant, cum hæſitatione quadam ſemper pronuntiandum nobis erit. In diplomatibus autem, præter illa, quæ ex ſcriptura ducuntur argumenta, potiora ex charactere cum reliquis ejus generis documentis harmonico, ex ſigillo, aliisque attributis trahimus, quæ fere in codicibus deſiderantur. Hæc ſi inter ſe amice conſpirent, de ætate diplomatis, anno adſcripto dieque, certo nobis conſtat. Codices vero, his ut plurimum deſtituti, (*l*) criticam aciem fatigant, & non raro decipiunt. Et licet utroque muniti ſint, eo tamen, quod iſtis probationibus carent, ſi non alia ſuppetant, controverſiis manent ſubjecti. Nihilominus pluribus convincimur, antiquiora chartæ lineæ monumenta inter codices repertum iri, quam inter diplomata; antiquiora etiam de privatis

(*l*) *De Gudenus in recenſu cod. antiqu. bibl. Mogunt. Sylloge var. dipl. pag. 338. 354.*

vatis litteris; quæ vero non potuerunt, niſi ſingulæ, ad ætatem noſtram perdurare.

In chartæ ipſius examine ſi reliqua bene ſe habeant, iſta certe, quæ inter Te, perilluſtris Meermanne, litteratiſſimumque Majanſium diſputata ſunt, quæ ab aliis, Tua invitatione, officioſe congeſta, plurimum proderunt, ut, majori cum perſuaſione, & propemodum fiducia, hæc, illa ſtatuere poſſimus. At continget tamen aliquando, ut in talia incidamus, de quibus clariſſimus *Coltée du Carel* conqueſtus eſt, (Obſ. pag. 99), quæ plus nobis negotii faceſſant; immo etiam quæ quam maxime dubia. Sed iſtius quoque generis documenta accurate deſcribere intererit: cum ad rem univerſam inde concluſiones apte deduci poſſint: cujus indolis ea cenſemus, quæ de mixtæ materiæ charta egregie conjeciſti.

Erui fortaſſis præterea nondum percepta alia poterunt: ſiquando artifex, perfecte eruditus, artemque ſuam majori, quam ab mercenario homine fieri ſolet, ſtudio adamans, nava dextraque opera, in chartis, cum ex panniculis goſſypinis, bombycinis, ſericis, linteis, tum ex ipſo nativo goſſypio, ſericaque lanugine, tum ex utriusque cum lintea materia permixtione, conficiendis,

dis, allaboraturus ſit: id quod vix alibi opportunius, quam apud Batavos Tuos; fieri poteſt, nuſquam cette felicioribus Tuis, Meermanne, auſpiciis. Ex talibus enim multigenerum chartarum foliis, copioſius comparatis, quæcunque in mentem veniant experimenta, capi poſſunt: quibus probatæ vetuſtatis reliquias ſubjicere, illarum cum ſumma raritate, tum cultu quodam, prohibemur. Poterunt quoque, ſi ita viſum fuerit, amicis transmitti, in excutiendis priſci ævi monumentis occupatis, ut de diſcrimine inter varias chartarum ſpecies, non niſi plurimo uſu percipiendo, poſitis ob oculum exemplis, ſæpiusque tractatis, tanto magis ſemet ipſos erudiant.

Interea præſtantiſſimum *Coltéum*, noſtra quoque ſollicitatione, excitatum cupimus, ut, ſua perſpicacia, in perveſtigandis bibliothecæ Lambetanæ, atque aliarum forulis ſcriniisque utatur, nec, quam litteris expreſſit, dubitationi tantum tribuat, ut, eadem illa ab nobiliſſimo inſtituto exornandorum, de monumentis Angliæ vetuſtiſſimis, in charta linea conſcriptis, commentariorum avocari ſe patiatur. Nam, pro ea, quam in ſuſcepto negotio demonſtravit, cautione, non facile metuimus, ut in diſcernendo char-

 tarum

tarum genere errorem committat. Quid enim? ſi etiam de nonnullis dubitarit. In plurimis certe, uſu edoctus, quid ſtatuendum ſit, videbit.

Antiquiſſimum, quod adhuc novimus, chartæ lineæ documentum Anglicum, in tranſactionibus philoſophicis anni 1703 primum indicatum, Eduardi III eſt, antiquo 1342, in Cottonea (m) libraria obvium. Sed, quæ addidit eruditus iſtius ſcripti auctor, vetuſtiorum detegendorum ſpem omnino faciunt. Magis tamen hæc de codicibus confidimus, quorum in bibliothecis Anglicis inſignis copia: inter quos etiam chartæ lineæ aliquos repertum iri, nullus dubito. At vero, ſi ex indice bibliothecæ Regiæ, quam, plurimo ſtudio, compoſuit clariſſimus *Caſley*, judicium facere licet: prope conjicimus, vix ſæculo XIV antiquiores Angliam habere: & hi quidem, ut apud nos, rariſſimi. Quos enim chartaceos dixit, illi fere omnes recentiorum ſunt ſæculorum; ex XV tamen ſat magno jam numero. Viciſſim Salomonis Regis carmina aurea, Græce

(m) *A Catalogue of the Manuſcripts of the Kings Library, by David Caſley. London,* 1734. 4.

ce tradita atque Latine; ibidem charta adhuc cernuntur goſſypina, (pag. a), ſæculo licet xiv ſcripta. Miramur autem eruditiſſimum virum, qui, quibus charta linea ac bombycina inter ſe differant notis, ſatis ſe alioquin perſpexiſſe oſtendit, in præfatione operis, (pag. 14), hujus originibus a ſæculo inde x repetitis, poſuiſſe, lineam non ita multo poſt inventam ſibi videri. Quæ quo magis & a nobis, & maxime abs Te, illuſtris Meermanne, diſputatis adverſa ſint: tanto magis exoptamus, ut eruditorum Anglorum aliquis in hoc argumento accurata verſetur diligentia; quo, quæ de codicibus documentisve aliis iſtius regni vetuſtiſſimis, ſive bombycinis, ſive lineis, tenenda nobis ſint, obſervatione minime dubia conſtent. Addam, etiam in bibliotheca reverendiſſimi Canonicorum collegii Moguntina, adſervari codices aliquot chartaceos, Oxonii, ſæculo xiv, ſed jam vergente eodem, ſcriptos, ab illuſtri *de Gudenus*, inter præſtantiores alios, productos: (*n*) quos chartæ lineæ eſſe non hæſitanter dixerim: quandoquidem, ſi goſſypina conſta-

(*n*) *Sylloge var. dipl. pag.* 357.

ſtarent, illud ab litteratiſſimo viro annotatum fuiſſe mihi perſuadeo. Talia vero ſi apud exteros reperire datur: quanto potiora ex bibliothecis Anglorum domeſticis exſpectemus?

Cuſtodiuntur præterea, in laudato illo Moguntinorum muſæo, alii quoque ejusdem generis codices ſæculo XIV, cum in Germania, tum in Italia, & alibi, exarati. (*nn*) Pluresque procul dubio & vetuſtiores dabunt tot inclytæ Germaniæ bibliothecæ, quarum aliquæ, neque antiquitate, neque codicum præſtantia, celebratiſſimis exterorum cedunt: ſi, hoc conſilio, intentiori ſcrutentur ſollertia. Spem profecto proximam in illis habemus, quæ de codicibus bibliothecæ Lipſienſis Academicæ, manu ſcriptis, retulit clariſſimus *Belius*, (Obſ. pag. 22), quæque de iisdem ſtudioſius perluſtrandis ſuaviter pollicitus eſt.

Hæc vero quamquam adhibita officioſa amicorum opera effici poſſint: plura tamen, auguramus, ex improviſo, aliaque rimando, detegentur, quam ſi ad eadem maxime ac-

(*nn*) Aurea legenda. a. 1367. Manipulus florum. a 1389. *Syll. pag.* 364. Decretales. a. 1394. *pag.* 365.

accedamus accincti, multoque labore in illis deſudemus. Incidet fortaſſis aliquis in chronicum librum, plurimo ſitu obductum, in quo, quæ ad rem noſtram faciant, annotata reperiantur. Vel detegetur, apud ſcriptorem antiquum, locus, olim non obſervatus, neglectus, qui, inter diverſiſſimi generis alia, paucis licet verbis, tamen aliqua habeat, quæ materiæ, in qua jam elaboramus, illuſtrandæ inſerviant. Non enim, niſi caſu, ductus eſt, quicunque in Petri Venerabilis contra Iudæos opuſculo, iſta de libris ex raſuris veterum pannorum primum deprehendit, ſive Hadrianus Valeſius idem fuerit, ſive alius. Similique caſu, ex tabulariis principum, celebrium civitatum, familiarumque illuſtrium, vel diplomata, vel litteræ, protrahi poterunt, qualia cupimus, majoris adhuc, quam quæ nota, vetuſtatis. Ad hoc autem plurimum conducet, quæſtionem de lineæ chartæ primordiis, repetitis vicibus, recentius fuiſſe agitatam, &, Tua jam potiſſimum opera, adeo explanatam, circumſcriptam, ut de illius vi ambigi ulterius non poſſit.

Hæc certe evicta nobis videntur: chartæ vere lineæ monumentum, ſæculi XIV initia quod tranſcenderet, nullum huc uſque detectum

ſectum haberis antiquiſſima, ſaltem horum plurima, in Germaniæ provinciis fuiſſe re- perta, codices integros, diplomata; nihilo- tamen ſecius, toto adhuc ſæculo XIV, mem- branam in cujusque generis documentis, codicibusque exarandis, ut plurimum ad- hibitam: de Gallia diploma quidem Vejon- tinum chartæ lineæ præmaturum quendam, mox ab ineunte ſæculo, uſum prodere, litteris inſuper Ioinvillei comprobatum; ceterum non innotuiſſe, quæ Germanicis antecellerent: in Hiſpania chartam bomby- cinam, mediis adhuc illius ſæculi annis, ſervatam; lineæ tamen ſpecimen ejusdem temporis productum, tantæ venuſtatis, ut tentaminum imperitiam longe ſuperet, & recentioris potius ævi videatur: denique Italiæ, ab initio fere ejusdem ſæculi, papy- raceos generis linei codices fuiſſe, ex ver- bis illuſtriſſimi *Maffei*, recte quidem col- ligi, immo etiam probabili ratione ſtatui, iſtinc mixtæ materiæ chartam derivandam; de iſtis autem non omnino conſtare, hæc ſaltem ſuſpicari.

Quæ ſingula ſi inter ſe, & cum aliis, con- ferantur, conjecturam inde aliquis, non præproperam, duceret: lineam chartam in terris Germanicis, (quo nomine & Belgium

Tuum

Turcam complectuntur), primum fuiſſe confectam; mercatura, civitatum inprimis, fœdere Hanſeatico junctarum, auſibus, in provinciis, Aquiloni ſubjacentibus, in dies magis efflorescente, ac terra marique late provecta. Cum enim tam ſedulis negotiatoribus curæ maxime fuerit, merces minimo pretio ſibi comparare, easque ſemper in promtu habere; ipſisque præterea in commerciis verſantibus chartæ plurimus uſus ſit; goſſypii autem proventu careant regiones ſeptentrionales: proximum fuit, experiri, an ex materia lintea chartæ effici poſſent. Inſuper, ratione valde probabili, tuerentur, cum bello, inter Venetos ac Genuenſes, mediis ſæculi XIII annis, conflato, atque ultra centum & viginti annos protracto, tum Tartarorum & Turcarum, iſtis temporibus, in terris Aſiaticis, & finitimis Europæis, turbis continuis, commercia Italorum cum Orientis populis ſummopere fuiſſe impedita; &, ea de cauſſa, ab hominibus ingenioſis varias artes, quas olim ignorabat Germania, excultas. Hæc cum ſimiliter in charta, ex lino paranda, feliciter cederent, eademque ab albedine, & tenuitate, & quod terſa magis reprehenditur, habeat, quæ illam commendent: idem mos

mos ſenſim in terris etiam Europæ Auſtralibus invaluiſſe videtur.

Hoc vero ut plura prætera alia ſuaſerunt, materia præcipue, ex qua conficiebatur charta, quæ magis erat domeſtica; ita certe haud parum illi ad gratiam conciliandam profuiſſe exiſtimo, quod chartæ bombycinæ, quia dulcior, majus a vermiculis periculum imminet; quibus quippe illam obnoxiorem eſſe, & *Allatius* teſtatum reliquit, (*o*) & in codicibus iſtius generis ipſe obſervavi. Attamen non omnem, credo, chartæ goſſypinæ uſum in Hiſpania atque Italia, ante ſæculum xv, ceſſaſſe; ſed eamdem cum linea viciſſim adhibitam, uſquedum, ab arte inventa typographica; ad quam plagulæ bombycinæ non æque videntur aptæ, unice uſurpari cœpit linea noſtra. Et ea quidem in re itidem artificibus Germanis plurimum tribuerem, præſtantiſſimam hanc, a popularibus ſuis excogitatam, artem univerſæ Europæ inferentibus,

(*o*) *Animadv. in antiq. Etruſc. fragm. Ingb. pag.* 135. Græcorum — chartæ antiquiores — cum dulciores ſint, ſunt etiam blattis & tineis obnoxiores.

-tibus; lineæque chartæ tantum adſuetis: quam igitur ad operas ſuas ſelegerunt, copiaque neceſſaria parandam, vel aliunde advehendam, curarunt. Hiſpaniam autem non minus a Germanis, librorum typis deſcribendorum artificio, primum fuiſſe eruditam, argumenti mihi loco modo ſit opus Franciſci Eximini de Republica, teſte *Majanſio*, (Obſ. pag. 89), Valentiæ, ex officina *Chriſtophori Coſmann*, Germani, anno 1499, editum.

Non tamen negaverim, inter panniculos goſſypinos, paſſim quoque lineos conficiendis chartis, jam antiquitus, interdum, adhibitos fuiſſe: ſed hoc vel fortuito, vel urgente aliquando neceſſitate, factum eſt; ut priſtina nihilominus ratio conſtanter ſervata ſit. Alia in hanc rem, ſed non aliena ab noſtris, habent Berolinenſium litteræ, elegantiori litteraturæ dicatæ, (*p*) ipſæque elegantiſſimæ: quæ pari nobiſcum voluptate abs Te, ſcientiſſime Meermanne, cujus præcipue cauſſam, licet & ex parte noſtram, reſpiciunt, lecta fuiſſe, plane mihi perſuaſum eſt.

Quod

(*p*) *Briefe die neueſte Litteratur betreffend. XIIIter Theil, pag.* 138 - 140.

P

Quod vero tam eximiæ raritatis reperiantur monumenta iſtius ævi, charta linea exarata, non mirabitur, qui, quot innumeris caſibus talia deſtrui poſſint, recordetur. Et enim ſi libri, recentiori tempore, typis exſcripti, plurimi ea inſolentia ſint, ut ne auro quidem comparari queant: quanto magis volumina papyracea, vel unica, vel, aliquot modo exemplis, manu deſcripta, ſimilia fata ſubire neceſſum fuit? Præterea neque adeo multa opera, a principio, chartæ noſtrati commiſſa credimus; potius, quæ alicujus dignitatis habita fuere, in membranis expreſſa. Quod cum maxime de Sacris religionis noſtræ libris contendendum ſit: mirum videri poſſet, *Biblia Maerlantii*, ex bibliotheca ſelectiſſima Iſaaci le Long, producta, in charta fuiſſe conſcripta (Obſ. p. 13.) niſi interpretis eſſent Belgici, cujus quippe non eadem fuit obſervantia, ac Latini. In nonnullis quoque pretii quædam ratio videtur habita: cum minoris conſtare codices debuerint chartacei, quam membranis compoſiti: qui, pro litterarum picturæque elegantia, quam care æſtimati ſint, eruditiſſimus *Naudaeus*, in additamentis ad hiſtoriam Ludovici XI. Cominæam, (q) ſingularibus lectu-

que

(q) *Memoires de Comines, par Godefroy. Tom. III, contenant l'Addition de Naudé. pag.* 39-44.

que digniſſimis exemplis ivit commonſtratum. Litterarum autem commercium quod attinet, illud iſtis temporibus multo fuiſſe difficilius, ac noſtris, novimus, eamque ob cauſſam minime frequenter exercitum. Quæ vero perſcriptæ epiſtolæ, eædem mille obnoxiæ fuere minis, ut, ſi qua noſtram ætatem attigerit, illa quaſi quodam genio ſervata dicenda ſit.

Ceterum nec palimpſeſti uſu majores noſtros caruiſſe probabile. Tabulas certe ceratas adhibuere, in quas accepta & expenſa, iſtiusque generis alia, memoriæ cauſſa, retulerunt: quales a veteribus frequentatas novimus, & Gallicas Sæculi XI, a *Mabillonio*, quin Sæculi XIV. aliquas, in ſyſtemate recentiſſimo artis diplomaticæ Gallico, enumeratas legimus. (*r*) Tales enim non minus in tabulariis Germaniæ idemtidem repertas indicarunt viri eruditi; &, ex noſtræ ipſius civitatis chartophylacio, protraxit clariſſimus *Koelerus*, documentis in ordinem redigendis operam ſuam præſtans. Denique & tabulis ex lapide fiſſili nigro, quibus adhuc hodie uti-

(*r*) *Mabill. Annal. Benedict. Lib.* 56, *pag.* 352. *Chron. Gotw. Lib. I, cap. I, pag. II. Neues Lehrg. d. Diplom. pag.* 483-493.

utimur, ſive majoris formæ, ſive minoribus, inſtar pugillarium Romanorum, pluribus in librum compactis, eos inſtructos fuiſſe mihi perſuadeo; in quibus, quorum recordari intererat, graphio annotarunt. Eædem inſuper & carmini condendo, (cujus rei, ſæculo XI & XII, mirus admodum, & latiſſime dominans, enthuſiaſmus,) aptæ, & cuicunque ſcriptioni alii, elegantius deinde deſcribendæ. Quæ ſi cuncta complectamur: perſpectu minime difficile, qua ratione noſtrates & chartis primum bombycinis, & poſtea lineis, multimodis carere potuerint; ævo præcipue, quo litteræ jacebant, ſcribendique artificium a paucis tenebatur: tametſi aliquando ingenia, ut in fumo ſcintillæ, comparuerint.

Explorandis vero primis in Germania officinis chartariis conducet fortaſſis, inter alia, attendere ad *Signa*, chartis antiquiſſimis impreſſa: quale illud bubulum eſt, quod, in diplomate Ruperti Regis, obſervavit *Fladius*, & in plerisque iſtius temporis chartis obſervatum a ſe ſcripſit. Idem enim cum in documento Camminienſi detexerit *Heringius*: hæc indicio videntur eſſe, unam certe ex vetuſtiſſimis officinis Germanicis bovis, vel tauri imaginem pro ſigno geſſiſſe; eamdemque

que altero adhuc ſæculo perduraſſe. Ex quo licet nondum plura derivari queant: proderit tamen, iſta non negligere. Saltem talia rimantibus ſingula, quæ, quacunque ratione, quidpiam ſubſidii adferre poſſint, in lucro ponere convenit. Conſtat certe ex his, cujus pretii ſint, quæ de officina chartaria Campidonenſi, anno 1477. exſtructa, tanquam omnium Germanicarum prima, aliqui habent, quos in hiſtoria ſua litteraria adduxit clariſſimus *Fabricius*. (*s*) Cui ſi quid ineſt fabulæ, hoc dumtaxat exiſtimo, primam chartæ conficiendæ officinam, illo fortaſſis anno Campidonæ conſtitutam eſſe.

Ultro autem nobis largientibus, chartæ lineæ parandæ rationem bombycinæ modo imitatricem fuiſſe, cum illico exſurgat quæſtio: ab quanam præcipue gente Germani noſtri pulcherrimæ artis ceperint exempla? non poſſumus, quin Italis hæc maxime tribuamus; nimirum & vicinis, & in charta bombycina egregie elaborantibus, & Germanis plurimo commercio junctis. Quid enim ex longinquo ea repetamus, quæ a proxi-

(*s*) *Abriſs einer allgemeinen Hiſtorie der Gelebrzamkeit. Iter Band pag.* 227, *IIter B. pag.* 931.

proximis arceſſi poſſunt? non tamen idcirco pro inſulſis habemus, quæ clariſſimus *ab Juſti* annotatione aliqua ſtatuit, adjecta ſcripto Lalandino de chartæ fabricatione, Germanice reddito: (*t*) probabile ſibi videri, inter expeditiones in Terram Sanctam, iſtis ſæculis ſuſceptas, hominem Germanum chartæ bombycinæ conficiendæ artem, in Oriente jam diutius exercitam, arripuiſſe, atque in patriam ſuam ſecum reportaſſe. Sed hæc minimum ante Friderici II. tempora contingere debuiſſent: quibus videlicet chartam bombycinam Germanis noſtris probe cognitam fuiſſe, ex edicto Imperatoris Siculi anni 1221, abs te tamen, acutiſſime Meermanne, primum obſervato, (obſ. pag. 4), omnino colligimus: cum demum, anno 1228, idem in Palæſtinam, cum exercitu, profectus ſit. Potuiſſent etiam, & fortaſſis expeditius, quacunque profectione alia, quarum innumeræ ab innumeris, iſto ævo, in illas terras, religionis gratia, ſuſceptæ fuere, eadem imbibi. Itaque, potiori jure, ex propinqua Italia, vel a Byzantinis, hæc deducimus: non tamen repugnaturi contendenti, aliqua etiam ex ipſa Aſia fuiſſe petita.

Nem-

(*t*) *Die Kunſt, Papier zu machen, pag.* 12.

Nempe ultimas chartæ bombycinæ origines Orienti utique vindicamus: ex quo in Græciam, Italiam, Hiſpaniamque invecta. Cui ſententiæ nec refragantur eruditiſſii Galli, Syſtematis diplomatici recentiſſimi auctores: tametſi ad tribuendum Græcorum ingeniis nobiliſſimum hoc inventum ſat proclives ſint. (*u*) Quam vero ab Italis artem Germani, eam ab Hiſpanis ſpercepiſſe videntur Galli, fortaſſis etiam Angli. Non enim prorſus de nihilo habendam cenſeo famam veterem, ſed obſcuram & exoletam fere, illatam tamen ab *Fabricio* hiſtoriæ ſuæ litterariæ: (*x*) ex Hiſpania, & inprimis Gallæcia, chartæ conficiendæ ſcientiam ad alia Europæ regna tranſiiſſe. Et fortaſſis ejus modi quid in fabella Myliana latet, artem eximiam primum a duobus viris, ex Gallæcia oriundis, Baſileam fuiſſe allatam: licet de reliquo talis ſit, quæ, merito ſuo, a *Balbino* & *Ludewigio* (*y*) exploſa eſt, & quam

(*u*) *Neues Lehrbg. der Dipl. Tom. I, pag.* 548. § 610. *not.* 6.

(*x*) *Abriſ. einer allgem. Hiſt. der Gelehrſ. Iter Band, pag.* 183. 11 *ter B.* 696.

(*y*) *Balbinus in miſcell. hiſt. regni Bohem. vol.* 1. *lib.* 1. *cap.* 22. *pag.* 58 *Ludwigs Hall. gelehrte Anzeigen.* 11. *ter Th. pag.* 271.

quam unusquisque, cui aliquid ſalis ineſt, deridebit.

Sed quid *de Naudæanis* iſtis prædicandum, initiis inventæ chartæ lineæ, a nobis aſſertis, quam maxime adverſantibus, (Obſ. pag. 27): ipſius nempe lintei uſum, ſæculo demum xv, invaluiſſe? Hæreo in illis, non nego: neque tamen ipſum locum, in Naudæi ad hiſtoriam Cominæam additamentis, reperio. At clariſſimi *Gerdeſii*, cujus ille indicio debetur, fidei hoc facile concedam: præſertim cum probe recorder, me alicubi de induſiis, ab Regina quadam Galliæ, recentiori demum ævo, primis omnium geſtis, legiſſe: quam Mariam Andegavienſem, Caroli VII. conjugem, hæc verba perhibent. Verum quæcunque Naudæi apud me eſt auctoritas, non tamen iſtis perſuademur, Gallos uſque ad id tempus linteis caruiſſe. Germani certe, jam *Plinii* atque *Taciti* temporibus, lino fuere amicti, eoque veſtitu maxime delectati ſunt. (z) Linteas quoque telas æque, ac cannabinas, a gentibus, ſub Septemtrione degentibus, antiquitus fuiſſe uſurpatas, ex illarum hiſtoriis conſtat; & nominatim illud de Suionibus probatum dedit

(z) *Plinii hiſt. nat. Tom. II. Lib. XIX. cap. pag. 155. Tacitus de mor. Germ. cap.* 17.

dit *ab Dalin.* (*a*) De Gallis vero luculenter *Plinius:* „ Galliæ univerſæ vela texunt: " & deinde ſigillatim Cadurcorum, populi Aquitanici, lintea, in culcitis adhibita, ab illo laudata legimus. (*b*) Iniquius igitur Gallo-Francos deſtitutos iisdem contenderemus: quamquam re ipſa comprobentur verba æquiſſimi *Wachteri*, in Gloſſario; (*c*) Germaniam hodiernam univerſæ pene Galliæ, Italiæ, & Hiſpaniæ linteum texere; eademque, in quæſtione de chartæ lineæ origine, ut maxime mereantur attendi. Sin nihilominus Naudæana valeant; dicamus, induſia olim texturæ fuiſſe vel bombycinæ, vel lineæ; atque tum demum ex lino neri cœpiſſe. Et enim in voce *cannabi* ſubſiſtere non audeo: ex qua funes quidem & vela, ruſticorumque hominum veſtimenta, parari ſcimus; illam autem filo tam tenui duci poſſe, ut induſiis Reginæ apta ſit addubitamus. Alioquin hujus forte indolis amictum, ut rem miram, Regiæ conjugi oblatam ſuſpicarer.

Sed

(*a*) *Svea Rikes Hiſtoria. Forſte Deles, cap.* 3 § 9. *cap* 8. § 11.
(*b*) *Plinius lib.* & *cap. cit pag.* 155, 156.
(*c*) *Wachteri Gloſſarium Germanicum, ſub voce* Lein, *pag.* 959.

Sed finiamus tandem commentationem, ultra modum jam protractam, &, quod vereor, Tibi, illuſtris Meermanne, propterea fere moleſtam. Quæ ſi nihilo ſecius ſe Tibi probarit, virisque, qui obſervationes ſuas hic contulerunt, eximiis, habebo, quod impenſius mihi gratuler, officio enim, a Sodalibus in me translato, probe me perfunctum cenſeri percupio. Non repetam gratias, eorum nomine, ob demonſtratum abs Te erga Societatem inſigne ſtudium, a me, litterarum principio, actas: cum maximas jam profeſſus ſim. At mutuam noſtram in Te obſervantiam, & affectum, pro neceſſitudine, quæ nos intercedit, erga Te Tuaque intimum, Tibi teſtor.

Speciminibus illis vetuſtiorum chartarum, in rei geſtæ memoriam ſervandis, dignam Societas adhibebit curam, nunc meæ præſertim fidei manent concreditæ. Cum vero talia non abſcondi debeant, ſed in plurimos uſus converti, pergratum Tibi fore non dubito, me, licet libello Tuo nondum evulgato, eadem, plagulasque ſimul transmiſſas, cum illuſtri *Richtero*, elegantiſſimæ doctrinæ Medico, communicaſſe: a quo, in litteratiſſima de *valetudine hominis nudi & cooperti* diſſertatione, (*d*) cum ad veſtimenta pa-

a. d. 21 *Julii*, *anni* 1763.

papyracea materia proceſſiſſet, obſervationum, Tua ope collectarum, mentionem ſcitiſſime, pro Viri ingenio, factam jam vides. (*e*)

Præmium, quod conſtitueras, Tua ſententia, Majanſio attributum gaudemus: eruditiſſimum enim virum, quavis ratione, ornatum ut maxime cupimus. Hujus ut noſtræ in ipſum voluntatis documentum quoque exſtaret, Tua ſuaviſſima commendatione, cunctisque ſuffragiis, Sodalium numero adſcriptus eſt: id quod diplomate, his litteris addito, profitemur: cujus in Hiſpaniam transmittendi curam, pro humanitate Tua, Te habiturum confidimus.

Ego vero, Meermanne, Tuæ me benevolentiæ, quam ſummi decoris æſtimo, quaque non ſpe ſola, ſed actu jam fruor, majorem in modum commendo. Eam quidem, quibus maxime potero officiis, & de litteris bene merendo, demereri annitar. Vale. Gottingæ, die XIII. Octobris, anni MDCCLXIII.

(*e*) *Pag.* 66. *in not. Edit. Rotterodi repetitae ap. Math. v. d. Grient*, 1764. *in* 8.

SVMMARIVM

Rerum maxime memorabilium, quae hoc opuſculo continentur.

G. MEERMANNI *Admonitio de* chartae lineae origine & antiquitate. *pag.* 1 - 16.

Origines Typographicae *huic quaeſtioni indagandae cauſſam praebuerunt.* 1. *Quinam de* linea charta *ante ſcripſerint? ib. Quaenam huius diſquiſitionis utilitas? ib. Tria praecipue chartarum genera diſtinguenda.* 2. *Charta* Aegyptiaca *quando in deſuetudinem abierit?* 3. *Arabes* chartae Bombycinae *inventores. ib. Ad medium usque Sec.* XIII. charta Bombycina *&* Membrana *tantum innotuit.* 4. Chartae papyri *&* Bombycinae *ſynonyma in* Conſtitutionib. Sicul. *ib. In legg.* Alphonſi Sapientis *ſub nomine* pergameni pannei *venit charta Goſſypina* 5 *ſeq. Exempla* Fori Gothorum, primae Partitae *&* Literae Authenticae *regis* Alphonſi *in Cottonea charta Toleti ſuperſunt ib. Hiſpani Italique ſuis ipſi in regionibus eam fabricabant.* 7. BARTOLI *ICti locus de* chartis papyri *qui intelligendus?* 8 *Chartis Goſſypinis* ſigna *quoque ab artificibus impreſſa. ib.* MONTFAVCONIVS *in Gallia Italiaque nullum offendit chartae lin. inſtrumentum, niſi anno* 1270. *recentius.* 9. *Locus* PETRI, *Abbatis Cluniacenſis*, *de* libris ex raſuris veterum pannorum compactis *explicatur. ib. Quid noviſſe conducat, ut quam proxime chartae Lin. origo detegatur?* 10. *In Italia Ill.* MAFFEI *nullum invenit diploma chartae Lin antiquius* literis inveſtiturae *an.* 1367. *ib. In Hiſpania Sec.* XIII *vergente invaluiſſe cenſet* NES: *male.* 11. *Cottoniana Bibliotheca*

theca ſchedulam chartae Lin. regis Eduardi III. an. 1342. ſervat. ib. In Germania plures Codd. chartae Lin. ante annum 1340. ſcriptos ſe vidiſſe, teſtatur BALBINVS. 12. LVDEWIGII ſententia de inventa chartae Lin. fabrica apud Pragenſes refutatur. ib. Literae Foeodales an. 1339 in Archivo Quedlinburgico, antiquiſſimum eſt chartae Lin. inſtrumentum, quod Societati Gott. innotuit. 13. In Catalogo Bibl. Hulſianae in charta lin. obvius liber apum an 1330. ib. Biblia IAC. MAERLANTII 1322. ib. Chronici Gotwic. auctores originem Sec. XIV. tribuunt. ib. FERD. de GVDENVS epocham ab an. 1280. repetit. ib. In Gallia non offendit MABILLONIVS antiquius huius generis chartae inſtrumentum, Literis Joinvillaei anni circiter 1314. 14. BVLLETTVS Veſuntione vidit clauſulam teſtamenti Ottonis IV. in charta vulg. an. 1302. ib. Fruſtra tamen BESSARIONIS teſtimonio ab an. 1140. originem chartae Lin repetit. ib. Intra annos 1250. vel 1270. & 1302. quaerenda chartae lin. initia. 15. Maxime in hac quaeſtione adtendendum, ne in chartae genere decipiamur. 16. Epilogus. ib.

IOH. CHRIST. GOTTSCHED. Obſervatio. p. 17.

Paullina Bibliotheca circiter annum 1540. variis monaſteriorum Bibliothecis ditata eſt. ib. Eius Catalogos FELLERVS & CYPRIANVS haud ſatis accurate contexerunt. ib. Hugo Trimbergius, poëta Sec. XIII. carmen ſcripſit Rhytmicum. 18. Eius Cod. Ms. exſtat in Bibl. Paullina 19. Accuratior eius Cod. notitia. ib. Ante an. 1312. exaratus. 20.

G. MEERMANNI Epiſtola ad C. A. BELIVM. 20.

SVMMARIVM.

BELII *reſponſoria ad* G. MEERMAN. *ubi & accuratiorem dicti Codicis Bibl. Paul. tradit notitiam.* 22. *& ſeqq.*

D. GERDESII *Epiſtola ad* G. MEERMAN. *Lintei uſus ex Cannabi recentioris eſt aetatis, Sec.* XV. 27. *Coniux Caroli* VII. *Galliae regis primum induſiis ex linteo uſa ib.*

D. LONGOLII *Epiſtola ad* G MEERMAN. *Eiusdem Programma de* charta indubitate lintea, hactenus notis antiquiore. 30-42. *Dictorum index vid pag.* 31.

Recenſio Programmatis Longoliani, *an.* 43. *ſeqq. Aetas chartae cur incerta?* 44 *Argumenta, a* LONGOLIO *ad eius aetatem conſtituendam adducta, examinantur.* 45 *ſeq*

G. MEERMANNI *reſponſio ad* LONGOLIVM. 47. *In Archivo Epiſcopatus Cantuarienſis charta linea reperitur, quae ad an. fere* 1230. *adſcendit. ib. ſeq.*

POPOVII Notitia *de Diplomate in charta vulg: exarata an.* 1303. 48.

GREG MAIANSII *Epiſtola prima ad* G: MEERMANNVM. 49-75.

Vocabularium Silenſe *antiquiſſimum chartae lin. monumentum.* 50. *ſcriptum tempore regis Alphonſi* VI. 51. *Quo vivente in locum* literae Toletanae *ſive characterum Gothicorum ſubſtitutae ſunt Gallicae literae ib. An.* 1129. *illa prohibitio promulgata eſt.* 52. Vocabularium Silenſe *ante an.* 1090. *ſcriptum.* 54. Libri ex raſuris veterum pannorum *in* PETRO *Abbate Clun. ſunt papyracei, tum temporis in Hiſpania frequentiſſimi. ib.* Saetabae *papyri antiquitas, & praeſtantia.* 55. Saetabae telae *celebratae* SIL. ITALICO. *ib.* Saetaba ſudaria CATVLLO. *ib.* Saetaba, *omiſſo per*

El-

SVMMARIVM.

Ellipſin ſudaria, PLINIVS *memorat.* 56. *Ea fuere* linea. *ib.* STRABO ſumme tenuia texta ſaetabitarum *laudat. ib. Linum illud variis uſibus inſerviebat: ib.* Satin *Gallis telae Bombycinae genus eſt.* 57. *ante* Zatavin *dictum. ib.* IAC. ROIG *vocat* Ceti. *inde & Italicum* Tabi & *Gallicum* Tabis *ib. Ex Saetabis telis fiebant quoque tentoria. ib.* Saetabum linum PLINIVS *laudat. ib. Vrbs* Saetabi *unde nomen nacta.* 58. Sadin *ſindon lintea ib. Qualis ſit* papyrus Saetaba? *ib. In ea & ſigna artificum inpreſſa. ib. Aliud vetus inſtrumentum papyraceum an.* 1178. *in regio tabulario Barcinonenſi* 59. *Num* ſcriptura inventionis corporis S. Cucuphatis *an.* 1079. *ſcripta. ib.* Regeſta expugnationis *ſcribi coepta* 1237. *omnia in papyro exarata. ib. Vſitatiſſima fuit papyrus in regno Valentiae.* 60. Fori *an.* 1250. *ib.* Privilegium Petri II *ib. & ſeq. Valentiae papyrus conficiebatur.* 63 *Alphonſus in* Partitis *an* 1263. *de bodierna papyro intelligendus. ib. Scripturae in* pergamino panni *ſunt papyraceae. ib. Pannus eſt vel* laneus, *vel* lineus, *vel* Bombycinus. 64. *Sudaria* pañuelos *dicunt Hispani. ib. Hodierna papyrus cur* pergamino *dicta?* 65. *Cur dein* papel. *ib. Qualis fuerit uſitata papyrus ſub Alphonſo Sap.* 16. *Plurima chartae lin. inſtrumenta inter an.* 1298. & 1340. *exarata, poſſidet* VELASCVS, 66. *Charta Fori Iudicum temporis Alphonſi* firma *dicitur &* polita. *ib. Charta* Brunida *eadem quae* polita. *ib. unde nitorem nacta?* 67. *Papyrus* Cebti *aut* Cepti *quae? ib.* Septem fratres, Heptadelphi *mons: caſtellum* ſepta, *portus urbis* ſeptitanus. *Fretum* Septe-Gaditanum. 68 *ſeqq.* Septa, Sebta, Cebta *poſtea* Ceuta. 70. *ſeq. A* Septa

adiectivum ſepti & ſeptil *a* Sebta ſebti; *a* Cebta cebti; *a* Ceuta ceuti; & Ceita & Ceitil *Luſitanorum.* 71. *ſeq.* Septil *numus, qui Luſitanis* Seiti, *unde dictus & quanti valuerit?* 72. *ſeq.* *A* Ceuta & *is numus* Ceutil *dictus & Valentinis* Ceti. 74. Limones Ceuti *ib. In urbe Septa* tapetes & panni *confecti. ib.*

GREG. MAIANSII *Epiſtola ſecunda.*

Ex ſpeciminibus chartae, ſuperioribus literis additis, de bonitate chartae eius temporis non iudicandum. 76. *Planta* Goſſypium *in Hispania obvia quidem, ſed nunquam charta inde fabricata. ib.*

Eiusdem Epiſtola tertia p. 77-80.

Quae Hispanis dicantur Regeſta? 78. *Quatuor ſpecimina ex lib. Cancellariae Alphonſi* IV. *Primum Regeſtum an.* 1238. *exarari coeptum. ib. ſecundum* 1294. 79. *Tertium* Era 97. *ib. Ratio numerandi per* Eram *quando abrogata?* 80. *Quando quartum Regeſtum exaratum? ib. Plures chartae e lino in Tabulario Eccleſiae Toletanae ſuperſunt temporis Sanctii Ferocis. ib.*

G. MEERMANNI *Epiſtola reſpons. ad Literas* MAIANSII 81-84.

Parum in hac quaeſtione coniecturis tribuendum. 81. *Charta Alphonſi Sap.* Cottonica *eſt* 82. *Ex Hiſpania chartae lin. origo non videtur arceſſenda. ib. Charta Regeſti primi manifeſte Bombycina apparet.* 83. *Secundi linea quidem, aſt recentioris aetatis. ib. Tertia ex peſſimo chartae Bombycinae genere, uti & quarti Regeſti. ib. & ſeq. Cultelli ope ex charta Bombycina particulae Cottonicae evulſae. ib.*

GREG. MAIANSII *Epiſtola ad* G. MEERMANNUM *quarta* 85-90.

Charta vocabularii Silenſis, *ante an.* 1090 *ſcripti, qualis?* 85. *Cur linea cenſeatur?* 86. *Similis*

huic

huic charta libri FRANC. EXIMINI *an.* 1367.
Petrus Abbas *de charta linea intelligendus* 87.
Inſtrumentum an. 1178. *in* charta communi *exaratum pro linea charta habendum. ib. Charta* ſaetaba *cur Goſſypina eſſe nequeat? ib. ſeq. Charta* Regeſtorum *linea eſt. ib.* Saetaba *charta ex telis lineis & Bombycinis confecta* 89. Goſſypion *minus frequens in regno Valentiae. ib.*
Notitia FRANCISCI PEREZII. 90-92.
Cod. Hebr. Ms. Bibl. Escurial. in charta vulgari exaratus an. 1250. 90. *ſeq Eius charta terſa & prae aliis ſubacta.* 92. *Charta linea Sec.* XIII. *ex Africa in Hiſpaniam invecta. ib.*
G. MAIANSII Epiſt. ad G. MEERMANNVM quinta.
Adſeritur, ſpecimen chartae lin. tractatus BERN. *de* GORDONIO *non eſſe ex apographo recentioris aetatis.* 93.
PEREZII *pro adſtruenda chartae lin. antiquitate Obſervatio.*
Folium ex Cod. Chartac. an 1262. *& ſequentium.* 95. *Chartae ſpecimen ex Cod.* literarum Sanctii IV. *an.* 1294. *ib.*
Excerptum ex Literis Andr. Coltée Ducarel. 95. *Bibliotheca Lambetana chartam ſervat lineam an.* 1282. 98.
Ejusdem Epiſtola ad G. MEERMANNVM 98. *ſeq.*
Niſi de certiſſima differentiae nota inter lineam & Cottonicam chartam conſtiterit, inutilis huic rei indagandae navatur opera ib.
H. CANNEGIETERI *Epiſt. ad.* G. MEERMANNVM 100. *ſeq.*
Antiquiſſima Gelriae diplomata in Membranis ſcripta. Diploma in charta Bombycina [illegible]

adiectivum ſepti & ſeptil a Sebta
cebti; a Ceuta ceuti; & Ceita
norum. 71. ſeq. Septil numu
Seiii, unde dictus & quanti
A Ceuta & is numus Ceutil
nis Ceti. 74. Limones Ce
tapetes & panni confecti.
GREG. MAIANSII Epi
Ex ſpeciminibus chartae,
tis, de bonitate chartae
dum. 76. Planta Goſ
quidem, ſed nunquam
Eiusdem Epiſtola terti
Quae Hispanis dican
ſpecimina ex lib. C
mum Regeſtum a
ſecundum 1294
numerandi per
Quando quart
res chartae e l
nae ſuperſunt
G. MEERM
MAIANS
Parum in hac
Charta A
ſpania ch
ib. Chart
paret.
uetatis
genere
ope e
evul
GR
M
Char
II
027.

RIVM
ERIVIRI m
inea intelligendus 87.
x charta communi
ndam. ib. Cur
neqeat? ib. Gra
Saeculo ib. ſeq.
ſpecta 89. charta
adentiae ib. Goſſy
zii 90-91.
in charta vulgari
Eius charta terſa
tia linea Sec. XIII.
Ca. ib.
MEERMAN.
tatus BERN.
graph recen-
lin. antiquita
ſequentium.
tum Sanctii
icarel. 95.
lineam
98.
& rei

li
e in
atuit.
00. ex
ndae ars
an. 1493.
copalis 110.
is Epiſcopi.
a lin. exarata
rta linea medio
uſitata in Pome-
I & DEMPSTE-
lin. epocha adſeri-
charitatis an. Sec.
ploma Henrici III. di-
18. Opera Ducis Bogis-
Ravenna chartae fabrican-
iam translata. 119 In Ita-
primis optimae cuiusvis gene-
ratae. ib. Baſileae iam an.
uſitata. 120. Inſeritur epiſtola
char-

cuiuſdam. Primus chartae lin. inven-
tur. 121. Quomodo inventa? ib.
Pomerania primum confecta? ib.
Sec. XVI. ineuntis in Pome-

dendix.
piſcopi Henrici de Waebolt
tatus in Lexic. Nobil. In-
pi gentilicium in charta con-
. Ipſum Diploma exhibetur. 130.
NI Epiſtola ad J. DAVIDEM
S. 132.
Germaniae monumentum chartae lin.
122. Biblia Jac. Maerlantii. 134 De
Popoviana an. 1303. nil certi conſtat.
arta Bar. SENCKENBERGII mixti
ur generis. ib. Charta Cod. Bibl Paul. an.
2. habetur linea. 135. Non neceſſe adeo, ut
uius ſit generis Diploma Longolianum, inqui-
ratur. ib. HERINGIVS Lineam & Bombyci-
nam chartam ubique confundit. ib. Chartae ſpeci-
mina Qualenbrinkii recentioris ſunt temporis,
lineae tamen. 136. Argumenta MAIANSII &
PERESII ſolvuntur. Charta an. 1357. linea,
ſed nimis recens: Huic ſupponitur tantum ſimilis
eſſe charta Vocabularii Silenſis. Diſſentiunt PE-
RES & MAIANS de Epocha originis Chart.
Lin 137. Charta e Ptolomaei Quadripartito eſt
Bombycina. ib. Difficile in pluribus Chartis di-
ſtinguere materien lineam a Goſſypina. 138. An
forte ope artis Chemiae certa differentiae nota de-
tegi poſſit. ib. Verendum, ut unquam tempus origi-
nis huius chartae detegatur. MAIANSII Laus.
GR. MAIANSII Epiſtola ad G. MEERMAN-
NVM. 140. ſeqq.

SVMMARIVM.

Vrgetur coniectura pro antiquitate Chartae lin. in Hiſpania, 140. Tria chartae ſpecimina ex Bibl. Eſcurial. 141. primum anni 1250. Secundum eiusdem anni: tertium an. 1267. ſpecimen eſt chartae politae. 142. In diverſis Hiſpaniae Tabulariis multo adhuc eſſe vetuſtiora. ib.

G. MEERMANNI Epiſtola ad J. DAV. MICHAELIS. 143-147.

Charta Cod. Hebr. Bibl. Eſcur. certiſſime eſt linea an 1250. In Eſcurialenſi Bibl. plerique Codd. apographi recentioris aetatis. 144. Quod accurate ubique notavit Cl. CASIRI. Cod. Hebr. cur apographus cenſeatur. 145. ſeq. Cuius aetatis? ib.

GR. MAIANSII Epiſt. ad G. MEERMANNVM. 147-153.

Error Epiſtolae primae circa aetatem Fororum corrigitur. 147. ſeq. Quo anno Fori Valentini conditi? 149. quod eleganti argumentatione adſtruitur. ib. ſeqq.

J. PHILLIPPI MVRRAY Epiſtola ad GER. MEERMANNVM. 153. ad fin.

Singula, quae hactenus diſputata, a Cl. Murray cum Societate Gott. communicata & Veterum chartarum ſpecimina exhibita. 53. ſeqq. Non accurate diſtinxerunt VV. DD. chartam lineam a Bombycina aliisque chartae generibus. 156. LVDEWIGII error. 157. MVRATORIVS lineam cum Bombycina confundit. Etiam HERTIVS. ib. MABILLONIVS & MONTFAVCONIVS locum Petri Venerabilis de linea charta accipiunt. 158. Chronicon Gotwic. parum huic rei lucis confert. 159. Ex loco Friderici II. aliisque a MEERMANNO primum obſervatis plurimum huic quaeſtioni lucis accedit. ib. MAIANSII laus. 161. & ſeq. Pleraque ſpecimina

trans-

tranſmiſſa ſunt generis Bombycini. 163. *ſeq. Charta* VELASCI *Goſſypina.* 164. Pergameni pannei *unde dicti? ib. Differentia chartae lin. & Goſſyp. ib. & ſeq. Quae ex Hiſpanicis chartis lineae ſint habendae?* 166. *Quid de Charta* Saetabica & Montiſpeſſulana *cenſendum. Quid de plagula Codicis Ariſtotelaei. ib. Argumentum, quod ex literarum ductu petitur, non omni exceptione maius. ib. Schedula* Montiſpeſſulana *etſi linea non facit pro Hiſpanica Chartae lin. origine.* 168. *ſeq. In Hiſpania ad an.* 1359. *obtinuit Charta Bombycina.* 169. *Charta libri* FRANC. EXIMENII, *an.* 1367. *ſcripti, linea.* 170. *Eo etiam tempore rarior in Hiſpania, & forte aliunde advecta. ib. Poſteriori tempore chartam a Genuenſibus petiverunt Hiſpani.* 171. *Quae Genuenſis chartae prae aliis praeſtantia.* 172. MAIANSIVS *Chartae Bombycinae adſuetus difficulter eam a Linea diſtinguere potuit.* 173. LEO ALLATIVS *de utriusque chartae diſcrimine luculenter diſſeruit.* 174. NIGRISOLIVS *Goſſypinam chartam plane ignoraſſe videtur. ib.* MAIANSIVS *a Goſſypina charta Bombycinam diſtinguit; cum alii Goſſypinam &* Bombycinam *vocitent.* 175. PLINIO *lanugo Xylina* bombyx *dicitur.* 176. MAIANSIO *Bombycina charta eadem videtur quae* ſerica. *ib. Charta Chinenſium qualis & quando confecta? ib. Difficile ex materie ſerica charta paratur.* 177. *Contra* MAIANSII *argumenta diſſeritur. ib.* lina Xylina *Plinio quae? ib. ſeq. Variae gentes, licet lino uſae, ex Bombycina tamen materia papyrum conficiebant.* 178. *ſeq. Goſſypion planta olim in Hiſpania culta.* 180. *Et in Regio horto Pariſino & alibi.* 181. *ſeq.* Pergameni pann-

nomine quid intelligendum? 182. *Iſto aevo diplomata in Goſſypina charta exarata.* 183. *Schedula Senckenbergiana mixti cenſetur generis.* 186. *Circa an.* 1308. *initia chartae lin ponenda. ib. Nondum tamen eo tempore in Germania uſitata.* 187. *Initia eius in Germania. ab. an.* 1312. *repetenda.* 188. *Cod. Ms. Bibl. Paul. & Lips. notitia. ib. ſeq. anni eſt.* 1312. 190. *Charta Bombycina, a Cl.* CANNEGIETERO *memorata ſummae eſt raritatis. ib. Cuius aetatis? ib. Deploma eſt Henrici* IV. *Imp. ib. Eius argumentum & hiſtoria exponitur & illuſtratur.* 191. *ſeq. Vnicum fere hoc documentum, quod in Bombycina charta exaratum ſupereſt.* 194. *Monumentis Siculis* MONTFANCONII & Vocabulario Sileuſi *antiquius.* 195. *Diplomata Impp. plerumque ſemper in membrano. ib. Qui antiquiſſimi Bombycini Codd.?* 196. *Chartae Bombycinae origo altius, atque ex Sec.* X. *repetenda. ib. in not.* J. DAN. FLADIVS *ſcripſit de* Charta Lin. 197. *Charta Linea non ante Sec.* XIV. *initia invenia.* 198. *Omnia monumenta, quae Sec.* XIV. *ſuperant, in membranis exſtant.* 398. *ſeq. Libri etiam Cenſuales Sec.* XIV. *in membranis, licet in uſu iam eſſet charta. lin. ib. Bombycina charta ſerius, quam alibi in Germania recepta. ib Specimen chartae lineae, a* FLADIO *exbibitum anni* 1377. & 1403. 200. *In eo* tauri caput. *in aliis chartis ſaepe obvium. ib. Diploma Helmſtadienſe an.* 1343. & *Quedlinburgenſe an.* 1239? 201. *Argumentum prioris.* 202, *Quedlinburgenſe de* Ermingarde *abbatiſſa.* 203. *Cuius abbatiae hiſtoria, perplexa iſtis temporibus, illuſtratur. ib. Diploma Rintelienſe Cl.* PESTELII. 204. *Cuius anni? ib. & ſeq Penſili Sigilo praeter morem munitum.*

S V M M A R I V M.

tum. 205. *ib. ſeq. Quando ſigilla appendi coepta?* 205, *Diploma Rintelienſe apographum habetur.* 207. *& ſeq. Certior plerumque Diplomatum, quam Codicum aetas.* 208. *ſeq. In examinanda chartae materie quae obſervanda?* 210. *ſeq. Antiquiſſimum Angliae documentum in charta linea Eduardi* III. *an.* 1342. *Plurimi in Anglia & alibi Codd. Chartacei Sec.* XIV. 212. *ſeq. Chartae Lineae origo ex Germania videtur derivanda.* 215. *ſeqq. Poſt inventam artem typographicam ceſſare coepit charta bombycina.* 218. *Hiſpani Typographiae artem a Germanis acceperunt.* 219. *Panniculis Goſſypinis iam olim linea fragmina admixta.* 219. *Cur tantae raritatis ſint monumenta iſtius aevi chartacea?* 220. *Vſus palimpſeſti in Germania & alibi olim notus.* 221. *Vſi praeterea Germani lapide fiſſili nigro. ib* Signa *chartarum obſervanda* 222. *Vnde Germani conficiendae chartae artem hauſerint?* 223. *Chartae Bombycinae origo ex Oriente repetenda* 225. *An Galli ad Sec.* XV. *lino caruerint?* 226. *Germani iam olim lino amicti. ib.* NAVDAEI *locus explicatur.* 227. *Epilogus.* 228. *ſeq.*

E R R A T A

ſic corrigito.

Pag. 6. *lin.* 18. quod. *p.* 8. *l.* 16. certe *p.* 9. *l.* a fin. 5. Iſt. *p.* 11. a fin 5. Scotia. *p.* 12. *l.* 10. adduxiſſet. *p.* 19. *l.* 13 expleat *p.* 27. *l.* 1. Nigriſolium. *p* 51. *l.* 7. didicimus. *p* 52. *l.* a fin. 7. honorifice. *p.* 55. *l.* ult. mnemoſyne. *p.* 73. *l.* 2. Seitis. *p.* 80. *l.* 4. an. 1359. *p.* 83. *l.* a fin. 3. N. C. 1359. *p.* 142. *l.* 9. Bibliothecae. *p.* 153. *l.* 12. initiis. *p.* 179. *l.* 1. ob. *p.* 182. *l.* 4. comprobata. Cetera, ſi qua ſunt, quaeſo, B. L. pr[illegible] humanitate ipſe corrigat.

JO. EBERHARDI RAU
S. THEOL. PROF. P.

83764

MONUMENTA VETUSTATIS GERMANICAE

UT PUTA

DE

ARA UBIORUM

IN C. CORN. TACITI I. ANNALIUM

LIBRI DUO

TUM DE

TUMULO HONORARIO

CAJI ET LUCII

CAESARUM

IN

CONFINIO UBIORUM AC TREVERORUM

LIBER SINGULARIS

CUM FIGURIS AERI INCISIS.

TRAJECTI ad RHENUM,
Apud HERMANNUM BESSELING,

MDCCXXXVIII.

AUCTOR
LECTORI SUO
S. D.

Dudum quaeſitum eſt ab rerum veteris Germaniae ſcriptoribus de Ara Vbiorum, Cornelio Tacito celebrata: primum quidem & praecipue, ubinam locorum in Vbiis ſita: tum quando & cui, tanquam numini, conſecrata. Ac ſuſpenſos lectorum Taciti in diverſum traxit animos, quod aliud agens bellique hiſtoriam pertexens, ab Romanis ad vindicandam cladem Varianam contra Germanos ſuſcepti, Caeſare Germanico duce, ejus arae mentionem ſuis ſcriptis tantum obiter ac velut in tranſcurſu attingit. Neque fluctuantibus nobis, qui nunc vivimus, ſuperſunt praeter eum auctores idonei, nedum aequales: qui &

ipſi res Germanorum carptim perſcripſere. Adeo vero, ut in profunda patriae majorumque & aboriginum verſaremur ignorantia, absque ejus libello ſi eſſemus, quem de ſitu, moribus ac populis Germaniae compoſuit. Eſtque haec vetus antiquae hiſtoriae querela; ut quae intercidere olim, rerum Germanicarum ſcripta dolere potius vacet, quam inſpicere. In his Titi Livii & ejusdem Taciti quaedam, praeſertim Plinii majoris viginti libri de Bellis Germaniae: quibus inchoatis (ut ex ſorore nepos ejus, epiſtola ad Marcum) cum in Germania militaret, duce Tiberio, omnia bella collegerat, quae populus Romanus cum Germanis geſſit: atque adeo inde a bello Cimbrico ad initium imperantis Titi, quo e vivis ereptus. Ac protulit is Pliniani ingenii foetus aetatem omnino usque ad Trajanum, quando Tacitus ſuam hiſto-

hiſtoriam edidit, laudavitque Plinium *Bellorum Germanicorum ſcriptorem*, Annal. I. 69.

Quod quidem iniquiſſimum fatum optimae notae hiſtoriarum antiquae Germaniae, utut communi aliorum caſui temporumque injuriae ac barbararum gentium in florentiſſimam Italiam & cultiorem orbem incurſibus tranſcribatur; ſi tamen tecum rationem putes, nimio rectius incuſaveris, quod magno numero & ſpiſſa horum auctorum volumina, de iisdem rebus compoſita, procedente tempore viderentur lectoribus ſupervacua: expromtis in ſubſidium hiſtoriae Romanae, rerumque adeo Germanicarum, illuc pertinentium, compendiis Flori, Paterculi, Eutropii, Victoris utriusque & ceterorum Hiſtoriae Auguſtae ſcriptorum, ob eamque cauſam alia atque alia de induſtria a librariis praeterita & omiſſa: mox univerſa labenti aevo in-

tercipienda. Plane vero, quemadmodum ſub idem tempus Trogo Pompejo, in ſimili agrumento, haud diſſimili fortuna accidiſſe novimus. Et actum erat de Plinii Hiſtoria Mundi, edita C. Julii Solini epitome; niſi rerum ubertas, praeſtantia & uſus multiplex etiam atque etiam lectores invitaſſet. Ac vel ſic tamen vix unus codex, isque multis vulneribus, multis cicatricibus deformatus, poſt renata literarum ſtudia repertus fuit, de quo is Plinianus labor typis deſcriberetur. Indidemque forte repetendum, quod nunc deſideretur Dionis Caſſii Romanae Hiſtoriae pars maxima: qui epitomatores nactus eſt Xiphilinum & Zonaram.

Aut vero inter cauſas jacturae hiſtoriarum noſtrae gentis hoc referre decet, quod populum Romanum neſcio quae invidia indignatioque aut faſtidium inceſſit earum rerum, quae

ad

ad ſui nominis dedecus magis quam gloriam ſpectarent: veritum ne illuſtrata barbarorum bellica virtute relatisque in juſtos annales acceptis ab his cladibus, ſuorum animus timore fractus elangueſceret. Nam de noſtris majoribus tum toto orbe gliſcebat fama, avita libertate & vitae genere parta, μείζω τῶν σωμάτων ἔχειν τὰ φρονήματα, καὶ τὴν μὲν τύχην θανάτου καταφρονοῦντα, τοὺς δὲ θυμοὺς τῶν ἀγριωτάτων θηρίων σφοδροτέρους, *ſpiritus gerere majores corporibus & vel praeſentem mortem contemnentes, indignationes vero feriſſimis belluis vehementiores;* auctor Flavius Joſephus Bell. Jud. I. Seneca in eandem ſententiam: *Germanis quid eſt animoſius? quid ad incurſum acrius? quid armorum cupidius? quibus innaſcuntur innutriunturque.* Suevis, qui & Catti poſthinc appellati, *ne Deos quidem immortales pares eſſe poſſe*, Vſipetum Tencterorumque ad Julium Caeſarem

 fuit

fuit oratio. Ac Parthi, ferox populus Arſacidarum imperio, non ſaepius admonuerant, ne invictos ſe Romani putarent, quam Germani; ipſo indice Cornelio Germ. cap. 37. Contra ea inerat Romanis, rerum dominis, ut imperii proferendi, ſic aeternitatis perpetuaeque famae inexplebilis cupiditas, conjuncta cum odio & contemptu reliquarum gentium. Ut *libidinem dominandi inter alia vitia generis humani immoderatiorem infuiſſe univerſo populo Romano*, recte Auguſtinus dixerit, de Civit. Dei I. 30. & Virgilius Brutum conſolans, VI. Æneid. 818.

Vincit amor patriae, laudumque
immenſa cupido.

Nec vero levem ſuſpicionem injicit, quod illibatis aliis Livii Pliniique libris, illi ipſi de medio ſublati maxime, quibus Germanorum res bello fortiter geſtae plenis commentariis dedicatae: quibus Cimbri ac Teuto-

ni

ni ferrentur *quinque conſulares exercitus populo Romano*, & Bructeri *Varum tresque cum eo legiones Caeſari* Auguſto *abſtuliſſe*: quibus Arminius, horum auctor & dux belli, praedicaretur *liberator Germaniae, & qui non primordia populi Romani, ſicut alii reges ducesque, ſed florentiſſimum imperium laceſſiſſet: proeliis ambiguus, bello non victus.* Tacitus Germ. 37. Annal. II. 88. Accedebant vani & verſi in ludibrium triumphi; velut C. Caeſaris Caligulae, de quo Eutropius: *Bellum contra Germanos ſuſcepit, & ingreſſus Sueviam ſtrenue nihil egit*: nequidquam permiſſurus lectitari libros, quando minime ſua intererat, ut facta ſua quaeque poſteris traderentur; contra quam de eo Suetonius cap. 15. Fricatque eundem ſtrigili ſatyrico, nec impune, ut ego quidem opinor, Perſius Sat. VI. 44.

- - *Miſſa eſt a Caeſare laurus*

 In-

Inſignem ob cladem Germanae pubis, & aris
Frigidus excutitur cinis, ac jam poſtibus arma,
Jam chlamydas regum, jam lutea gauſapa captis,
Eſſedaque ingentesque locat Caeſonia Rhenos.
Diîs igitur, genioque ducis centum paria, ob res
Egrégie geſtas, induco: quis vetat? aude.
Vae, niſi connives: oleum artocreasque popello
Largior; an prohibes? dic clare: non adeo, inquis.

Uxori autem Caligulae nomen fuiſſe *Caeſoniae* a Suetonio accepimus. De Domitiano Tacitus Agric. 39. *Inerat conſcientia, deriſui fuiſſe nuper falſum e Germania triumphum, emptis per commercia, quorum habitus & crines in captivorum ſpeciem formarentur.* Et Xiphilinus ex Dione: *Poſt-*

PRAEFATIO.

Poſtquam ſuſcepiſset in Germaniam expeditionem, rediit ne viſo quidem hoſte. Et quid commemorem, quibus honoribus ob eam cauſam affectus ſit, poſtque eum alii Imperatores ejus ſimiles! ne ſuſpectantes vilius ſua cenſeri, ob exiguos qui haberentur honores, indignarentur. Subinde vero *effectum, quod miſerrimum eſt*, (ita Vellejus, fruſtra excuſaturus Vari cladem) *ut quod accidit, id etiam merito accidiſſe videatur, & caſus in culpam tranſeat.* Quin eo res rediit denique, ut novam in Germanias vim prohiberet Claudius: mallentque Romani pacem & foedera a Germanis emercari, quod fecit Alexander Mammaeae filius, quam bello periclitari; ſi Herodiano credimus VI. 7. ridicule etiam affectantibus, qui *Germanici* audiebant, quaſi devictae gentis nomen, quam vel ſtolide triumphaverant, vel callide incitatis adverſum ſe invicem principibus mu-

tuaque diſcordia attriverant quidem, nunquam armis & aperto Marte totam ſubegerant: dictante vero in eorum infamiam Arminio: *Non ſe proditione, neque adverſus foeminas gravidas*, (ſignificat avectam ab Romanis uxorem ſuam) *ſed palam adverſus armatos bellum tractare; ſibi enim tres legiones, totidem legatos procubuiſſe;* Tacit. Annal. I. 59 Ut plura ſe *conſilio*, hoc eſt, dolo & arte, quam *vi*, ſeu belli alea, perfeciſſe Tiberius profiteretur, novies ab Auguſto in Germaniam miſſus. Eademque dehinc Romanorum anceps fortuna in Germania. donec urgente fato, eidem genti, quam ſaepe quaſſaverant, fuerunt praedae. Inde vero ingenti fama celebrata Germanorum bellicoſa indoles, hinc acceptae clades & mimici triumphi, quum ſudes eſſent in oculis principum; aequone animo ferrent, ut bella Germanica in juſtam hiſtoriam relata ſpargerentur in vulgus? Et fac

tuliſſe

tuliſſe vero; multosne e populo abrupta ſpe debellandae Germaniae, magnis ſumptibus, quemadmodum tum oportuit, ſpiſſos codices deſcribi curaſſe per librarios legiſſeque cum voluptate putabimus, bellicae virtuti, potentiae, imperio limites quaſi radio deſignaturos, quos ultra Romanum nomen evileſceret? Loquor autem de lapſis in deterius temporibus, quum luxus & deſidia neglectusque literarum Romanis pro virtute eſſent. Nempe ergo ſuppar horum ſcriptorum calamitas, quae & aliis vel partium ſtudio vel religione praepoſtera fraudi fuit, poſtquam Chriſtiani rerum potiti.

Deinde vero etiam Hiſtorici principes eorumque propinquos & familiares metuebant, quorum res deſcriberent: verum tradituri, ſed inviſum. Adeo ut in vulgus edere & lectitare id genus libros non multum abeſſet a flagitio: atque aut turpiter aſſen-

aſſentandum deſidioſis principibus, aut ſupprimenda differendaque fuerint in tempus virtuti magis amicum, quae luci publicae deſtinata. Quippe malus cuſtos diuturnitatis metus eſt: nec temere ſuperatur πάντων δέσποτις ἀλήθεια; ut Lucianus. Idcirco, qui alieni ab adulatione erant, ſua tunc demum ſolebant quaſi e carcere emittere, quum eſſe in vivis deſiiſſent, quorum conderent hiſtoriam. Huc pertinent iteratae Taciti querelae, prooemiis Annalium, Hiſtoriarum & vitae Julii Agricolae, arguentis *ſaeva & infeſta virtutibus tempora.* Neque hercle ſcio, an auſurus fuerat haec talia & libelli de Germania quaepiam publica facere ſuperſtite Tiberio & qui eum ſecuti ſunt, principibus nonnullis usque ad Trajanum, quo imperante demum ſuas invulgavit hiſtorias, adeo boni hiſtorici partes omnes explere voluit ſine aſſentatione ſine affectu, ſine fraude

fraude veritatis, atque ut ipſe habet Annal. I. 1. *ſine ira & ſtudio, quorum cauſas procul habeat*; ſed & ſine periculo quodam ſuo. Et Trebellii Pollionis ea vox eſt ad aliquem, cui librum inſcripſit, Salonino Gallieno ineunte: *Quaedam ſtudioſe praetermiſi, ne ejus poſteri multis rebus editis laederentur. Scis enim ipſe tales homines cum iis, qui aliqua de majoribus eorum ſcripſerint, quantum gerant bellum: nec ignota eſſe arbitror, quae dixit M. Tullius in Hortenſio, quem ad exemplum Protreptici ſcripſit.* Habet ſine dubio in animo verba Ciceronis iſta: *Qui cum publicas injurias lente tuliſſet, ſuam non tulit.* Neque abſurdum eſt ſuſpicari eadem morum peſte jam olim periiſſe plures praeſtantium ingeniorum foetus tantum non cum prima luce. Sic Criſpi Salluſtii (omitto enim reliquos) multa ſuppreſſa: quem graviſſimum alienae luxuriae objurgatorem & cen-

ſorem

ſorem dixit Macrobius. Nec privatae, quae ipſi interceſſerant cum aequalibus, Cicerone, Livio, Aſinio Pollione, inimicitiae ac ſimultates, quod vellent alii (nam ſuperfuère quae nunc deſunt, quum Grammatici atque alii ſcriptores poſteriores illorum lacera quaedam excerpta darent) ſed publicum odium, me quidem judice, illam librorum ejus ſtragem edidit. Quid enim? Romanorum quisquam ex Thymele & orcheſtra, nedum inter ſeria, concoqueret vel epiſtolam regis Mithridatis ad Arſacem, inter fragmenta libri quarti? quam finxit atque ex oratione Corcyraeorum ad Athenienſes apud Thucydidem fere totam transtulit. Quot verba, tot aculei, tot morſus in populum Romanum & proceres. *An ignoras*, inquit, *Romanos, poſtquam ad occidentem pergentibus finem Oceanus fecit, arma huc convertiſſe? neque quicquam a prin-*

a principio niſi raptum habere, domum, conjuges, agros, imperium? convenas, olim ſine patria, ſine parentibus, peſti conditos orbis terrarum: quibus non humana ulla, neque divina obſtant, quin ſocios, amicos, procul juxtaque ſitos, inopes potentesque trahant excidantque; omniaque non ſerva, & maxime regna, hoſtilia ducant.

Rurſus candor & libertas illa, qua malorum principum vitia deſidiamve perſequebantur hiſtoriarum ſcriptores, ſaepe oppido quam magno ſtetit cum ipſis, tum lectoribus. Enimvero Domitianum retulit Suetonius cap. 10. occidiſſe Hermogenem Tarſenſem *propter quasdam in hiſtoria figuras* (quum videlicet ita ſcriberet, ut aliorſum rapi poſſet ac dictum erat) *librariis etiam, qui eam deſcripſerant, cruci affixis.* Creditum, cenſeo, fodiſſe latus Domitiani per alium ejus ſimilem, aut

perſonatum aliquem ludicros vanosque triumphos agentem. Et ſceleſtiſſimus Imperator Commodus, eum qui Tranquilli librum vitam Caligulae continentem legerat, feris objici juſſit; ut eſt apud Lampridium cap. 10. Quibus rebus vero admonebantur Hiſtorici cauto opus eſſe, ac parcendum veritati metu poenae; quod de Poëtis ante aetatem ſuam dixit Horatius II. Epiſt. 1. 154.

-- Vertére modum formidine fuſtis,
Ad bene dicendum delectandumque redacti.

Intereſt & huc connectere, quod de Imp. Alexandro Severo idem prodidit Lampridius cap. 3. fuiſſe in eo mirum literarum amorem & literatorum, quorum calamos vereri prae ſe tuliſſet, ne quid ſuo nomini labis adſpergerent.

Adhaec vel in bonorum elogia & laudes excurrere literarum monumentis in publicum editis ſaepe ma-

lis

lis ſub principibus capitalis noxae fuit. Tiberius, *virtutem ipſam exſcindere cupiens*, interemit Cordum Cremutium, quod in hiſtoriis Brutum & Caſſium laudaſſet: Domitianus Junium Ruſticum, quod *in monumento clariſſimi ingenii*, ut Tacitus vita Agricolae, Paetum Thraſeam & Helvidium Priſcum appellaſſet ſanctiſſimos viros; cujus criminis occaſione Philoſophi omnes urbe Italiaque ſummoti; Suetonio teſte. Nero vero etiam Lucano arte Poëtica & cauſarum actionibus interdixit, quod ei judices coronam dederant, quum Orpheum in theatro ambo recitaſſent: ſtulta opinione dementatus, ineſſe ſuis & Lucani carminibus ſimilitudinem. Ita vetus auctor qui Poëtae vitam compoſuit, & Tacitus Annal. XV. 49.

Poſtremo & hoc funeſtum optimis auctoribus accidit, quum paſſim deeſſent qui ingentes codices ſuis

ſumptibus plura per exempla diffunderent. Sic ab interitu Tacitum Tacitus princeps vindicavit; de quo Vopiſcus cap. 10. *Cornelium Tacitum, ſcriptorem hiſtoriae Auguſtae, quod parentem ſuum*, hoc eſt, *cognatum, propinquum*, nova notione ſubjecta vocabulo, *eundem diceret, in omnibus bibliothecis collocari juſſit: & ne lectorum incuria deperiret, librum per annos ſingulos decies ſcribi publicitus in cunctis archiis juſſit, & in bibliothecis poni.* Valde autem vereor, ne ante librarii lectoresque defuerint Hiſtorico, Germanae virtutis, ſi quis alius, aequiſſimo aeſtimatori & judici, his de cauſis, quas ante attigimus. Ac ſine imperatore Tacito fuiſſet, forſitan & univerſam ejus hiſtoriam, quam habemus mancam & mutilam, nunc deſideraremus.

Sed longo e diverticulo, quo pace tua, Lector, me abiiſſe confido,

nunc

nunc pedem refero in viam. Et noſter Cornelius quidem, utut libro, quem de ſitu & moribus Germanorum conſcripſit, Vbiorum mentionem injiciat atque etiam ceterarum Germanicarum gentium ſacerdotes, templa, lucos, nemora perſtringat; horum tamen genticam ſuperſtitionem ſilentio transmiſit: ſatis habens nominaſſe quos plerique omnes Germani duxere Deorum numero. Neque alibi fortaſſe ſcribendo Vbiorum attigiſſet aram; niſi e re tum geſta fuiſſet, uti locum aliquem ſua aetate hoc nomine clarum exprimeret, atque ſacerdotis apud eam in Romanum perfidiam notaret. Igitur ſapiendum uno ex primo annali ejus: cui quidem ejusmodi impreſſit veteris aevi notas ac veſtigia, unde in utra Rheni ripa haec ara condita, tum cui & quo tempore dicata ſit, colligi ac deprehendi poteſt; dummodo, ſui interpres, non ſupine

& ſegniter ſecum ipſo committatur. Quod quanto alii ante nos neglexere magis, tanto, niſi fallor, perſpexere minus veri rationem. Quo autem ad ipſam Aram via eſſet expeditior, praemiſimus de ſitu & oppidis Vbiorum, deque nonnullis aliis noſtra animadverſione dignis in eo terrarum tractu: rati & hinc lucem accedere Tacito & canae patriae vetuſtati. Vale. Herbornae in Naſſaviis a.d. XII. Calend. Februarii cIↄ Iↄccxxxviii.

CAM-

CAMPIUS,

Literis ad Modium, quae exſtant hujus Novarum antiquarum Lectionum epiſt. III.

Exiſtimo Aram Vbiorum inibi loci fuiſſe, ubi nunc eſt oppidum Bonna. Nam Tacitus aram apud caſtra primae legionis poſuit. Ait enim *legatos ab Senatu regreſſos apud aram Vbiorum Germanicum adiiſſe:* duas ibi legiones, primam atque viceſimam hiemaſſe: ac Plancum legationis principem a tumultu & furore militum periclitantem, in caſtris primae legionis ſubſidium quaeſiſſe, illic ſigna & aquilam amplexum, religione ſeſe tutatum. Ac caſtra primae legionis prope Bonnam ſita fuiſſe, ex eodem Tacito patet, cum *Bonnam hiberna primae legionis* nominat Hiſt. IV. 25. Hujus diſtantiae, inter aram Vbiorum & Vetera, Bonnae ab eisdem interſtitium plane reſpondet: loquens enim de quinta & undeviceſima legionibus, ait, eas apud ſexageſimum lapidem, in loco, cui Vetera nomen eſſet, hibernaſſe, quae ratio noſtrae ratiocinationi plane & omnino congruens eſt: tanto enim intervallo oppidum Xanctenſium (Vetera haec fuerunt) Bonna diſtat. Fuit, cum exiſtimarem, hanc Vbiorum aram ſitam fuiſſe in arce Godesberg, quae eſt Archiepiſcopi Colonienſis ad quintum fere lapidem ſupra Bonnam, quod illic fanum Æſculapii fuiſſe ex inſcriptione antiqui lapidis conſtaret, & veriſimile videretur, aram in editiore loco poſitam. Hocque adeo mihi perſuaſerat illuſtris Noave aquilae (*Nuenariae*)

Co-

Comes Hermannus, antiquitatis & hiſtoriarum olim peritiſſimus. Sed erravimus: nam & nimis longe a primae legionis caſtris abeſt, nec alia ſunt veſtigia, quam lapidis iſtius Æſculapiani. Veroſimilius adeo eſt, Romanos longo poſt tempore, cum Bonnam incolerent, ſanitatis Deo illic ſacellum conſtituiſſe, in quo quidem ipſo etiam ſuum quidem; ſed acceptum a Graecis morem obſervarunt.

LIPSIUS in Taciti Annal. I. 57.

Frequens hujus arae mentio. Vidi qui vellet Bonnam nunc eſſe. (*Campium ſignificat*) ego vereor ut propius adfuerit ab oppido Vbiorum. Quicquid hodie ſit, puto originem ei loco a veneratione Auguſti, cui novo coeliti ara illic, recepta adulatione, exſtructa, uti ara Lugduni: & ad eam ſacerdotes ex primoribus gentis, inter quos Segimundus.

DE

DE
ARA VBIORUM
IN C. CORN. TACITI I. ANNALIUM
LIBRI DUO.

ARA VBIORUM.

LIBER PRIMUS.

De Vbiorum regione & finibus.

CAPUT PRIMUM.

De ſitu & oppidis Vbiorum.

ARGUMENTUM.

Vbii, populus Germaniae, olim dextram inferioris Rheni ripam inſedere: poſt transgreſſuri amnem. II. *Eorum fines, potentia & agri fertilitas.* III. *Oppida & Vici.* Colonia Agrippinenſium. IV. Marcodurum, Tolpiacum. V. Bonna, Noveſium, Gelduba, Vetera caſtra. VI. *Numerus legionum Rhenum juxta.*

VBia gens usque ab antiquiſſimis temporibus ad aevum C. Julii Caeſaris cis Rhenum, in finibus Suevorum, domicilium habuit; velut ipſe commentatus eſt libris, quos reliquit de Bello Gallico, veteresque Scriptores univerſi, qui de rebus ejus aliquid memoriae prodidere. Nec alia mens verborum eſt, quibus apud concilium Agrippinenſium uſi legati Tencterorum, Germaniae populi ad inferiorem Rhenum: *Liceat nobis vobiſque utramque ripam colere; ut olim majoribus noſtris;* Tacito interprete Hiſt. IV. 44. Germani ergo fuere; nec illa erubuere origine. Sed crebris popularium, qui juxta erant, Suevorum Cattorumve excurſionibus quaſſati, relictis ſedibus trans flumen conceſſere. Quod factum imperante Caeſare Auguſto, ut opinor, mox ab anno urbis IↃ CCXLV, quo Tiberius primum in Germaniam miſſus, Dione Caſſio teſte lib. LV. quadragena millia dedititiorum Germanorum, ut Suetonius cap. 9. Tiberii, traduxit in Galliam, juxtaque Rhenum ſedibus aſſignatis collocavit. In his idem, vita Auguſti c. 21. Vbios & Sicambros nominat. Et ferme XXVIII. an-

te annis M. Vipſanius Agrippa, gener Auguſti, de Vbiorum gente non paucos Rheno traductos in fidem acceperat, ſe & L. Gallo Coss. anno urbis IↃCCXVII. auctor Dio lib. XLVIII. & Strabo IV. Deque his capiendus Tacitus, ferens Vbios *olim transgreſſos*, Germ. cap. 28. Is Vbiorum populus, una cum Treveris, Romanorum bellis dehinc in Germania geſtis eorundem conſiliorum ac fortunæ ſociis, occuparunt quicquid Moſam inter & Rhenum agrorum eſt: inde a Mediomatricis & Vangionibus, usque ad Vſipetes Tencterosque, quos pulſos a Cattis Rhenum tranſiiſſe & Menapiorum regiones invaſiſſe non longe a mari, quo Rhenus influit, apud inſulam Batavorum, perſcripſit Caeſar Bell. Gall. IV. 1. Sed minis ejusdem Caeſaris perterriti, relictam ab Vbiis conceſſamque citeriorem ripam invaſere; ibidem cap. 8. quam & tenuiſſe etiamdum imperante Claudio Nerone a Cornelio accepimus, Annal. XIII. 56. & Agric. 32. Proin Vbiis ceſſit ager longe ampliſſimus, usque a Treveris ad Menapios, quorum alii trans Moſam ſedes extenderant. Nam Claudius Civilis, Batavorum belli dux, quum Romanorum dominatione cervicibus depulſa, in

propinquam Galliam hoſtile agmen duceret, ſocios Germanos ex Transrhenanis, ut cuique proximum, vaſtari Vbios Treverosque & alia manu Moſam transire juſſerat, ut Menapios & Morinos & extrema Galliarum quaterent; Hiſt. IV. 28.

II. Igitur Vbii inter Treveros in auſtrum & Menapios, quorum a tergo Gugerni, in ſeptentriones medii: inde Moſa amne ad occaſum, hinc Rheno ad ortum concluſi. Sic tamen, ut Eburonum, civitatis ignobilis atque humilis, pars major ad Moſam ab iis ſubmoveretur, auctore Caeſare Bell. Gall. V. 24. 28. Menapii vero cismoſani a temporibus ejusdem Caeſaris ſub Gugernorum laterent nomine; unde nulla, quod ſciam, poſthac eorum mentio. Sed fines Vbiorum, qua Treveros ſpectant, ex Tacito intelligas. Pergit enim Hiſt. l. c. *Actae utrobique* (cis & trans Rhenum a Germanis hoſtibus) *praedae. Infeſtius in Vbiis, quod gens Germanicae originis, ejurata patria, Romanorum nomine Agrippinenſes vocarentur. Caeſae cohortes eorum in vico Marcoduro, incurioſius agentes, quia procul ripa aberant*, Rheni puta, quousque Germanos excurſuros non opinabantur: Fuit ergo

ergo Marcodurum (nunc Duren / muro cinctum & Juliacenſi Ducatui adſcriptum oppidum) tum vicus civitatis Vbiorum; videturque clauſiſſe eorum ditionem verſus Treveros: ut ſit quaſi Mark Duren/ antiquo Germanico vocabulo *terminum* limitemve deſignante; aut mavis, Markt Duren / locus appellatus a nundinis frumentariis, quas & hodie quotannis vicini populares autumno adire conſueverunt: inolito more a civium memoria, ut per eum terræ tractum id pretium emptione & venditione frumento praefigatur, quod his in nundinis negotiatores pactum eant. Verum & medio loco inter Treveros & Gugernos ſeu Clivanos, qui nunc dicuntur, olim habitaſſe Vbios Rheno transgreſſos, illud indicio eſt, quod Mumius Lupercus, Romanum apud exercitum legatus, imminentibus Batavis, *legionarios e præſentibus, Vbios e proximis, Treverorum equites haud longe agentes, raptim transmiſit Rhenum*, Annal. IV. 18. Lupercus autem praeerat duarum legionum hibernis, Veteribus nuncupatis, quorum multam mentionem injecit Tacitus. Atqui eum locum, nunc Beertheim / quaſi Veterheim dictum, proxime adeſſe ab oppido Santen / cui a legionis Thebaeae

ſanctis martyribus nomen, prolixe conſecit Stephanus Pighius, Hercul. Prodic. pag. 63. ſeqq. Ceterum Vbiorum civitas *magna & potens* Cajo Caeſari, Bell. Gall. IV. 3. ſed vel ideo, & quod deſerta patria Romanorum amicitiam ſocietatemque ambiiſſet, *transrhenanis gentibus inviſa*; ut eſt apud Tacitum Hiſt. IV. 63. proceſſuro ſecutis temporibus ſæpe ad ejus perniciem odio, Francis Galliam invadentibus. Plinius vero etiam eorum agri eximiam ubertatem praedicavit: *Vbios gentium ſolos novimus, qui fertiliſſimum agrum colentes, quacunque terra infra tres pedes effoſſa & pedali craſſitudine injecta, lætificent*; Hiſt. Nat. XVII. 8.

III. Acceptis in tutelam a M. Agrippa Rhenumque traductis Vbiis, ut ſupra demonſtratum, neptis ejus, Julia Agrippina, uxor Claudii principis, filia Germanici ex cognomine muliere, ut vim ſuam ſociis quoque nationibus oſtentaret; in eorum oppidum, quo genita erat, veteranos coloniamque deduci impetravit, ut tranſitu amnis Germanos prohiberent, conditricis ſuae nomine Agrippinenſes appellandi. Tacitus Annal XII. 27. Germ. cap. 28. & Marcellinus lib. XV. Neque dubito, auſpiciis ejusdem mulieris & mariti,

riti, Romæ ſimilibus operibus intenſi (ut Suetonius cap. 29.) ſub prima ejus coloniae initia, Romanae magnificentiae argumento, factum per militem aquaeductum, opere arcuato ſub terra, immani ſumptu & labore (qualem & Moguntiacum perduxit Imp. Alexander, Mammaeae filius; ſi credimus Diffenbachio, epitoma Chronicorum) ferme XXIV. millium ſpatio illuc decurrentem: conceptum in altiſſimis Eifaliae montibus; ubi rudera ejus, non metuentia ævum, etiamdum extant, atque ego his meis oculis uſurpavi: accolae **die Adroff** vocant. Niſi quis malit id operis retro referre ad M. Agrippam, quem diximus: qui ante paullum Romae magnum ſibi nomen cura aquaeductuum comparaverat; ut eſt apud Julium Frontinum lib. I. & II. Fertur vetus lapis, deſcriptus Juſto Lipſio in Taciti Annal. XII. 27. quo COLONIA CLAUDIA AUGUSTA AGRIPPINENSIUM ſalutatur: facto nomine de Claudio Caeſare, quo imperante eo veterani miſſi, precibus uxoris ejus, dictæ Plinio indice libri VII. Nat. Hiſt. *Agrippinae Claudii*, ſcilicet uxoris; velut idem lib. X. cap. 29. quo alia noſceretur a matre, Auguſti nepti, cui idem nomen, ut diximus.

Tritum tamen antea Romanis Scriptoribus *Coloniae Agrippinenſis* nomen fuit. Quanquam & Aurelio Victori in Trajano, & Trebellio Pollioni in Triginta Tyrannis cap. 6. & 7. audit *Agrippina*, a M. Agrippa, quem praediximus, cui vero ea urbs civium quidem Rheno traductorum auctum numerum; non coloniam, non jus Italicum, adeoque nec nomen debet; ſi verum amamus. Unde recte *Agrippinenſem* dixeris. Qui *coloniam Vbiorum* appellet, veterum reperio neminem; quippe *libentius Agrippinenſes vocati ſunt*. Tacitus Germ. cap. 28. Ex quo apparet longius abeſſe ab Auguſteo aevo inſcriptionem, quae usque hodie conſpicitur in fronte curiae ejus urbis, praefertque nomen *Coloniae Agrippinae*. Coloni autem non ſemper in agros deſertos atque inhoſpitos, ſed ſaepius in oppida & vicos mittebantur. Illae coloniae proprie condi: huc veterani milites deduci, & colonia militaris dicebatur. Quodnam vero nomen huic Vbiorum oppido, antequam Romana fieret colonia, vernacula Germanorum lingua ſit impoſitum, ſiletur: Habuiſſe indubium eſt, quo ab aliis oppidis, ſi non ipſorummet Vbiorum, at vicinarum Germanica-

nicarum gentium uſu & commercio diſtingueretur. Scilicet tribuendum hoc Romanis hiſtoricis, qui cum ſuis popularibus ſcriberent, ſatis habuere, ſi peregrinae ac diſſitae alicujus gentis locum principem *oppidum* dicerent per excellentiam, vel *caput gentis*, ſuppreſſo gentico loci nomine: ſero demum invaleſcente uſu, ut nobiliſſima & primaria alicujus populi aut provinciae urbs *Auguſta* diceretur. Neque mirum Tacito ad eundem modum ſermonem eſſe de Vbiorum loco primario; ſiquidem proprie loquendo tum non niſi unum his oppidum fuit: ceteris locis in uſum caſtrorum ad oppidorum inſtar munitis; ſed qui vel ideo oppida non vocati. Ita vero Caeſaris Germanici aetate *oppidi Vbiorum* meminit Annal. I. 36. & quidem priusquam ab Agrippina ejus filia Romanum nomen ſortiretur: quod factum perhibuit, haud parvo intervallo temporis, eorundem Annalium lib. XII. 27. Atque idem *oppidum Batavorum* memorat Hiſt. IV. 19. ſenſu vago; cum plura tum fuerint Batavorum oppida; velut Vada, (*Wageningen*; confuſum nomen, ut opinor, cum Vadis, loco Liguriae: vitio librariorum) Grinnes, Arenacum, quorum ipſe perſcripſit nomina:

mina; ni ſit Batavodurum, quod multis interjectis nominat. Neſcio vero, an non ipſimet noſtro aptem, quod dixit ineunte Vita Agricolae, *omnem aetatem ſuorum incurioſam eſſe.* Tantum abeſt, ut de nihilo ſint querelae Savilii, deſiderantis in Cornelii hiſtoriis χωρογραφίας ἀκρίβειαν: nequidquam exagitante ipſum Gronovio. Itaque oppidum jam ante conditum ab Vbiis adverſa in amnis ripa collocatis, eodem loco, quo Agrippinenſis colonia poſt deducta, mihi valde ſit veroſimile; quamvis nomen literis non ſit proditum. Niſi forte **Urſtadt** fuerit: quaſi **Ubier ſtadt**; quemadmodum **Urbach** antiquo nomine nuncupantur hodie vici aliquot cis Rhenum in regione Vbiorum veterum. Oppida & vicos autem, in quos miſſi coloni, amiſſo vetere nomine ſaepe novum mittentis adſumpſiſſe, monere nihil attinet.

IV. Dein Cornelii Taciti temporibus, annis omnino LX. a Chriſto nato, quum Romae rerum potiretur Veſpaſianus, praeter Coloniam & Marcodurum, de quibus dictum, in Vbiorum civitate ad laevam Rheni ripam bellis Germanicis innotuere loci iſti, *Tolpiacum*, *Bonna*, *Noveſium*, *Gelduba*, *Vetera caſtra*. *Tolpia-*

cum

cum Cornelio memoratur Hiſt. IV. 79. poniturque *in finibus Agrippinenſium*; ut hinc Vbios omnes & Agrippinenſes vocatos intelligas. Vernacule eſt **Zulpich**/ vulgo hodie **Zulich**. Sueti enim Romani veteres literam Z, ipſis inſolitam & paulo aſperiorem viſam, cum T commutare; velut *Tigurum*, vel rectius *Turigum*, pro **Zurich**/ contracte **Zürch**: *Biturix* pro *Butzrig*; ut voluit Hortenſius, commentario in Lucanum: *Catti* pro **Catzen**/ dein *Chaſſi*, denique *Haſſi* & *Heſſi* appellandi. Niſi malis ipſosmet Germanos olim in his frequentaſſe literam T, cujus vicem labente aevo Z praeſtiterit; quod minus a vero abhorret. Ita enim T in peregrinis vocabulis extulere cum ſibilo; ut in **Rheinzabern**/ **Bergzabern**/ quae ſunt a Latina *tabernarum* voce. Similiter ex antiquo Longobardico virorum nomine **Theobald** fecerunt **Seobald**; a **Theutz** vel **Theitz** manavit **Zeitz**/ quod eſt oppidum Saxoniae. Sed illuc revertor. Fuit Tolpiacum (nunc Archiepiſcopatus Colonienſis oppidum) omni tempore, ob eximiam ampliſſimamque circumjacentis agri planitiem, Martis palaeſtra, maximeque Clodovaei Francorum regis proelio cum Alemannis, quinto

to exeunte ſeculo, clarum. Dicitur in Antonini itinerario *vicus Supernorum*. Legendum haud dubie *Gugernorum*, ut pridem obſervarunt alii; quamvis vel ſic inepte. Hos tamen Juliacenſes eſſe hodie Dinaeus & Rhenanus opinati ſunt. At audiamus Tacitum. Is ductum a Dillio Vocula exercitum *in proximos Gugernorum pagos* retulit, qui ſocietatem Claudii Civilis, Batavorum ducis, acceperant, Hiſt. IV. 26. Id quod de populo capiendum, inferiorem & quidem Gallicam Rheni ripam colente, verſus Batavorum inſulam. Et ſuadet ejus belli hiſtoria, quo ineunte Treveri & Vbii ſuas copias cum Romanis conjunxerant. Itane vero Gugernos, ab his circumſeſſos, intraque fines ſuos facile coërcendos, tranſiiſſe in partes Batavorum & militaſſe contra Romanum dixeris? Praetereo alia. Sic Plinius Hiſt. Nat. IV. 17. medios Gugernos collocat inter Vbios & Batavos.

V. Tolpiaco in orientem non longe abeſt *Bonna*, laevo Rheno imminens. Olim vicus; ſed vallo ac muro ad oppidi inſtar cincta a milite Romano, in uſum caſtrorum primae legionis, cui tum praeerat Herennius Gallus, quum auctore duceque Claudio Civile Batavi res novas

mo-

molirentur. Quo ipſo bello, intra fines Ubiorum & Gugernorum geſto, Bonna inclaruit ceteraque loca, quae ſupra attigimus. Id bellum fuſe perſcripſit ſaepe laudatus Corn. Tacitus quarto & quinto Hiſtoriarum: atque utinam reliqui ad xxx. usque libri ſupereſſent, quibus & res Germanorum perſecutus eſt! Erant vero Bonnenſia caſtra prima inferioris Romani exercitus, ceteris ad Rheni decurſum usque ad Oceanum protenſis. Infra Bonnam proximis caſtris locum dedit *Noveſium*, vernacule *Neus*: hodieque non obſcurum Archiepiſcopi Colonienſis oppidum: xvi. milliarium Romanorum, quorum IV. faciunt milliare Germanicum, infra Coloniam Agrippinenſem diſtantia, ex Antonini dimenſione. Dehinc iter dabatur ad Caſtellum *Geldubam*: ubi tertia caſtra, muro valloque ab Romanis Civili obviam euntibus, Dillio Vocula duce, aut recens circumdata aut innovata; cujus de ſitu mox plura dicemus. Paulo inferius apud Gugernos, non longe Rheno, quarta hibernabant, dudum ante munita; unde *Veterum* nomen adepta: niſi de *veteribus militiae*, Corneliana phraſi, dicta malis. Diſſita Bonna ſexageſimum apud lapidem, hoc eſt, LX. Romanis milliariis; teſte noſtro Annal. I. 45.

VI. Ce-

VI. Ceterum de numero copiarum Romanarum ad Rhenum ante Caeſarem Germanicum ob defectum hiſtoriae nihil conſtat; niſi eum ex belli ejus & quae ſecuta ſunt, narratione aeſtimes. Nimirum is octo legionibus dux ab Auguſto impoſitus Annal. I. 3. IV. 5. quae hiberna habuiſſe puto ordinarie his locis: Moguntiaci II. Bonnae I. Noveſii II. in Veteribus II. octava, cum una alterave centuria reliquarum legionum, diſtributa per caſtella Rhenum juxta, ut praeſidia agitarent. Has ad ſenarium numerum redactas, neque integras, bello quod diximus, Batavico *inania* Civilis dixit *legionum nomina*, Hiſt. IV. 14. quarum duae cum eſſent in Veteribus deletae a Batavis, reliquae attritae; ſeptem aliae his ſupplendis undiquaque ex imperii provinciis coactae mittebantur ſub *Petilio* Ceriale; ibidem cap. 68. In Agrippinenſem vero Coloniam legiones miſſae, hiemandi vel aeſtivandi cauſa, non leguntur: quod non vacaret periculo, proclivi ad res novas milite ipſisque majoris ac opulentioris oppidi civibus; ſi quidem in fraudem utrinque fieret conſpiratio. Et Romanis id more acceptum, verſo in exemplum Auguſti inſtituto; de quo Suetonius

tonius cap. 49. *Neque tamen unquam plures quam tres cohortes in Urbe eſſe paſſus eſt; easque ſine caſtris: reliquas in hiberna & aeſtiva circa finitima oppida dimittere aſſuerat.*

CAPUT SECUNDUM.

De ſitu exſtinctorum ferme vetuſtate locorum nonnihil. De foſſa inter Rhenum & Geldriam. Tum de Rheno in Vahalim evoluto.

ARGVMENTVM.

Aſciburgium II. Gelduba. III. L. Annaei Flori *locus a mendo vindicatus.* IV. Cn. Domitius Corbulo *foſſam duxit, non ab vrbe Leida ad oppoſitum Rheni & Moſae oſtium, quod* Cluverius *voluit; neque inter Wick & Krimpen, ut* Ryckius; *ſed Rhenum inter & Geldriam.* Corn. Taciti *locus elucidatus.* V. Claudius Civilis, *diruta mole Druſi Rhenum divertit in Vahalim. Alius* Taciti *locus diſcuſſus & emendatus.*

Et horum quidem, quae diximus, oppidorum ac vicorum in Vbiis eorum-

que confinio ſitus certus adſignari po-
teſt; praeter Geldubam, cui addimus
Aſciburgium. Fuit is locus in ripa Rheni
ſitus, pridem ante Tacitum nobiliſſimus;
ut quem ab Vlyſſe errabundo conditum
trita ferri fabula ſcriptum reliquit Germ.
cap. 3. Quid ſi Aſchburg olim vernacu-
le dictum putemus ab Heſo, Marte?
cui ara illic poſita, *praecipuo Germanorum
Deo*, ex Tencterorum ſententia Hiſt. IV.
64. qui Ἄζυζος, עזיזא, Syris, ob *virtu-
tem* ac virium praeſtantiam; Juliano te-
ſte oratione in ſolem; unde nata de Vlyſſe
conditore fabula. Ex Syria autem omnem
prope ſuperſtitionem in ceteras *proflu-
xiſſe* terras, omnes norunt. Et pluribus
Germaniae locis nomina olim indita de
Marte, Aſch vel As/ item Hees vel
Heis & Hies dicto. Sic Aſſenheim/ anti-
quiſſimum oppidum Veteraviae: Asberg/
Caſtellum Ducatus Vuirtenbergici. Huc
referimus Eſchwegen/ Eſchbach/ Esch-
weiler & ſimilia: mutato *A* in *E*; velut *Ali-
ſo* Taciti nunc Elſen/ *Angrivariorum
regio* Engern/ Albis fluvius Elbe/ A-
miſius Embs eſt. Sic Aſmann vetus
praenomen virorum: Hesberg/ olim
Heſſeburg/ locus Saxoniae. Situm Aſci-
burgii vero, cum alia inter loca, tum
ad-

adſpectu utriuſque Rheni ripae, definivit Tacitus Hiſt. IV. 33. Scilicet Claudium Civilem perhibet, qui tum Vetera obſidio cincta tenebat, adverſus Dillium Voculam, Geldubae in caſtris haerentem, miſiſſe veteranas cohortes & quod e Germanis ſociis, Rheni ripam ſuis copiis ſupra Vetera complentibus, maxime promptum: Julio Maximo & Claudio Victore ſororis ſuæ filio ducibus. Hos *rapuiſſe in tranſitu hiberna alae* (Romanae) *Aſciburgii ſita: adeoque improviſos caſtra Voculae involaſſe.* Quid clarius? Fuit is locus inter Vetera, ubi tum Germani ſtabulabantur, & Geldubam medius, hoc eſt, manui a Civile contra Voculam miſſae in via recta, aut certe non longe propter eam; quod facile ejus ſuadet feſtinatio. Eſtque hodie vicus prope Moerſam oppidum, **Aſburg** dictus, monſtrans rudera caſtelli antiquiſſimi, ut pridem obſervarunt Geographi.

II. Difficilioris indaginis *Gelduba* eſt: quod ejus loci nomen, quemadmodum nunc legitur in Romanis auctoribus, nuſquam hodie apparet; tametſi cetera, quae hucuſque expoſuimus, nomina ſuperſint univerſa cum ipſis vicis & oppidis. Si-

tam inter Noveſium & Vetera, Santen-ſi oppido propinqua, ſupra demonſtravimus. De loco autem quaeritur, quem hoc in agrorum tractu occupavit. Prima fronte venerat in mentem de Geldria, oppido: quod & proclivis eſſet peregrino in vocabulo librariorum lapſus, & Antoninus de Gelduba ſileret in Itinerario; ut opinabar, hanc ob cauſam, quia eum locum ſuo in itinere propter Rheni ripam non reperiſſet, qua de cauſa & Gelriis nomen dediſſe Geldubam Carolus Bovillus opinatus eſt. Sed muto ſententiam, edoctus meliora. Litem ipſe de plano componit Cornelius Hiſt. IV. 27. *Forte navem haud procul caſtris, frumento gravem, cum per vada haeſiſſet, Germani in ſuam ripam trahebant.* Dixerat tribus abhinc verbis de caſtris ad Geldubam poſitis a Vocula duabus cum legionibus Bonna & Noveſio ad Vetera pergente, ut totidem legiones, in his obſeſſas a Germanis, defenderet liberaretque. Igitur nihil ambigo locum non longe Rheni ripa adfuiſſe, via recta inter Noveſium & Aſciburgium, ubi collocavit Cluverius: & recte quidem; niſi quod paulo inferius Rurae opponendum videatur, ubi Rheno influit; ut apparebit e ſequentibus. Non

prae-

praetereundus Plinius Hiſt. XIX. 5. *Inter medica dicendum ſiſer: & ipſum Tiberius princeps nobilitavit, flagitans omnibus annis a Germania. Gelduba appellatur caſtellum Rheno impoſitum, ubi ejus generoſitas praecipua: ex quo apparet frigidis locis convenire.* Puto id caſtellum inter quinquagena eſſe Druſo per Rheni ripam directa; ut Florus IV. 12. quae per caſtella & caſtra tum legiones diviſae, etiam trans Rhenum ad Luppiam: ſic ut illis ala militaris una vel plures, his totae legiones tenerentur.

III. Fallor, an ex his, quae de ſitu Geldubae diximus, aſſeritur ejuſdem Flori locus, dudum expertus Criticorum manus. De Druſo Nerone continuo ſubjecta ibidem legimus verba iſta: *Bonnam & Geldubam pontibus junxit claſſibusque firmavit.* Nonnemo apud Stadium emendavit, *Bononiam & Geſſoriacum.* Immani ſaltu ab Rheno, ubi Druſo res fuit cum Germanis, ad portum Morinorum! Graevius cum Cluverio pro Gelduba ſubſtituit *Moguntiacum:* praeter Germanicarum gentium, quibus bellicum apparatum Druſus opponebat, & caſtrorum ſitum, in quibus legiones ad Rheni decurſum infra Bonnam hiemabant regula-

 riter;

riter; ut ſuperius dictum. Alii Ge[illegible] legunt: ſenſu nullo. Ego nihil mu[illegible]. Etenim Germanicus, Druſi filius, pr[illegible] ximo contra eoſdem Germanos bello ſu- ſcepto, patris exemplo, (conf. Tacit. Annal. II. 8.) qui nuper e vivis exceſ- ſerat, *armis*, *caſtris*, *ſociis* Rheno inſi- ſit ex hibernis Bonnenſibus, quae [illegible] erant inferioris exercitus, Annal. I. 45. ceteris legionibus, ut par erat, ad ſupe- riorem Rhenum praeſidia agitantibus. Idemque *juncto ponte* Rheno traduxit co- pias in proximos Vſipios & Bructeros, cap. 49. Sermo autem Floro eſt de infe- riore Rheno, ut dictum, cui Druſus praeſidia impoſuit in victos nupero bello Germanos. Idcirco, ut bello forte a Ger- manis redintegrando copias & commea- tum facilius citiusque deduceret aut trans- mitteret, prohiberetque hoſtium incur- ſus; pontes navales (quibus tum Rheno uſos Romanos ab Julii Caeſaris aevo, qui immobiles ſtruxerat, ex Annal. II. 6. ap- paret) & claſſes (unde *luſoriae naves* Vo- piſco in Bonoſo cap. 15. quas Rheno Ger- mani incenderant) flumini impoſuit, Bon- nam inter & Geldubam: copias inde per adverſam Rurae fluminis ripam & ſupra ducturus in Germanos, cum maxime in

Cat-

Cattos Suevosque, quorum irruptiones cominus ex adverſa Rheni ripa, inter Bonnam & Geldubam, ante alios inferioris Germniae populos metuebat: haud ſecus ac *pedes*, *eques*, *claſſis* ad Luppiam amnem convenere, quum Bructeros peteret Germanicus, Annal. I. 60. Quae quidem videtur ratio, quamobrem Florus Geldubam nominet potius, quam vel Vetera caſtra, vel aliud caſtellum Gelduba inferius. Neque intercedit Dio de Druſo Germanico lib. LIV: Ἅμα δὲ τῷ ἦρι πρὸς τὸν πόλεμον αὖθις ὥρμησε, καὶ τόν τε Ῥῆνον ἐπεραιώθη, καὶ τὰς Οὐσιπέτας κατεστρέψατο, τόν τε Λουπίαν ἔζευξε, καὶ ἐς τὴν τῶν Συγάμβρων ἐνέβαλε, καὶ δι᾽ αὐτῆς καὶ ἐς τὴν Χερουσκίδα προσεχώρησε, μέχρι τοῦ Οὐϊσούργου. *Initio veris rurſus ad bellum profectus*, *Rhenum tranſiit*, *Vſipetes ſubjugavit*, *Lupiaeque fluminis ripis ponte junctis*, *in Sygambros* (quondam *Segi* vel *Sigae*, ut volunt cum Bertio, fluminis accolas, quorum oppidum Σεγόδουνον Ptolemaeo, nunc Siegen) *irrupit*, *perque eos in Cheruſcorum regionem usque ad Viſurgim proceſſit*. Ita Latinus interpres. In Graeco ad verbum eſt *Lupiam junxit*: non hercle ponte immobili, utraque in ripa firmando, quod proprie eſt γεφυροῦν ποταμὸν; ſed navibus, quae pon-

tibus ſtratae: neque Luppiam trajecturus; ſed toto adverſo flumine adacturus exercitum cum commeatu in Sicambros, quorum ſedes tum ad Luppiae fontes. Quemadmodum ergo Florus dixit *Druſum* pontibus junxiſſe Bonnam & Geldubam; ſic Dio, utramque ripam Luppiae, tanquam continentem terram, pontibus navalibus peragraſſe. Inſolens verbi uſus, quo vix reperias ceteris auctoribus tritum. Dioni autem ſermo eſt de Druſi expeditione in Vſipetes, Sicambros & Cheruſcos; Florus ob oculos habuit regionem, quam diximus Bonnae & *Geldubae* oppoſitam, intermediis Vſipiis Tencterisque Cattis tum habitatam & Suevis, potentioribus populis, victis magis, quam domitis. De his idem Dio Lib. LV. Ἐς δὲ τὴν τῶν Χάττων ἐσέβαλε, καὶ προσῆλθε μέχρι τῆς Συηβίας, τήν τε ἐν ποσὶν οὐκ ἀταλαιπώρως χειρούμενος, καὶ τοὺς προσμιγνύντας οὐκ ἀναιμωτὶ κρατῶν. *In Cattorum fines ingreſſus, ad Suevos uſque pervenit, obvia quaeque non ſine magno labore ſubigens, congreſſoſque proeliis haud incruenta victoria ſuperans.* Vt ergo bellicoſam gentem in officio contineret reprimeretque, pretium fore credidit, pontes navales & claſſes Rheno imponere, quibus legiones e ca-

ſtris

ſtris apud Vbios ſitis, ſummis, mediis & imis, Rheno commearent, Germanosque tranſitu prohiberent. Atque haec, me quidem judice, Flori commodiſſima ſententia eſt, Druſum ferentis *Bonnam & Geldubam pontibus junxiſſe claſſibuſque firmaſſe*. Quod vero *claſſes* praedicat numero multitudinis, ex panegyrica magis, quam pedeſtri dictione & fideli hiſtoria eſt. Tacitus poſt Druſi exceſſum conſtanter loquitur de una claſſe Romanorum, Rheno geſtata & Oceano ex Galliis advecta; neque vero fit ſimile plures ante habuiſſe diverſis locis apud Vbios.

IV. Quum in eo ſumus, ut eruderemus, quae ad Vbiorum regionem & fines attinent; negligere non poſſumus & Taciti locum, ſic habentis de Cn. Domitio Corbulone (Gabinii Secundi nomen ſubſtituit Suetonius in Claudio cap. 24. nato errore, cenſeo, quod is Corbuloni ab Rheno avocato eodem in munere ſucceſſor datus) praefecto inferiori Romanorum exercitui ad Rhenum, qui ductis copiis in Chaucos, Amiſiam inter & Viſurgim populum Germanicum, Gallicam Rheni ripam excurſionibus infeſtantem, juſſu Claudii Caeſaris, optimi ducis virtuti &

honori invidentis, ſigna receptui dedat, Annal. XI. 20. *Vt tamen miles otium exueret, inter Moſam Rhenumque trium & viginti millium ſpatio foſſam produxit, qua incerta Oceani vitarentur:* hoc eſt, qua legiones & commeatus e Galliis, non mari, ut ante haud ſine periculo factum; ſed Moſa flumine, vel in Batavos, vel ad Rhenum ſupra Batavorum inſulam in Germanos ſubveherentur. Placet legi *vitarentur* cum Vertranio pro *vectarentur* aut *verterentur*, ut alii, aut denique *vetarentur*, quod inſolentius; quamvis Lipſio & Gronovio arrideat. Ecquis enim (ut cetera nihil morer, quae aliena ſunt) ferat dicentem, incerta Oceani, puta inundantes aeſtu maris fluvios, Rhenum Moſamque, ut volunt, *vetare*? Id vero Cornelio eſt *coërcere*; velut Annal. XIII. 53. de Paullino Pompejo: *Ille inchoatum ante tres & ſexaginta annos a Druſo aggerem coërcendo Rheno abſolvit.* Deinde *incerta Oceani* nemo de aeſtuariis exaudiat, unde reſtagnant Rhenus & Moſa, ubi in mare ſe evolvunt: quae potius certa ſunt & conſtanti maris aeſtu cientur; ſed maxime de tempeſtatum maris ventorumque Oceanum illum impellentium injuria, Corneliano compendio. Ita enim ille Annal. III. 54.

lite-

literis Tiberii ad Senatum: *At hercule nemo refert, quod Italia externae opis indiget, quod vita populi Romani per incerta maris & tempeſtatum quotidie volvitur.* Sermo eſt de commeatibus, qui ex transmarinis provinciis in Italiam advehebantur. Rurſus, fac cauſa fluminum refluentium, tanquam incertorum Oceani, actam foſſam illam: nonne *revectum diverſi maris aeſtum* noſter cauſſatus erat, ſuo quodam loquendi genere? Sic Agric. cap. 23. *Glota & Bodotria diverſi maris aeſtu per immenſum revecti, anguſto terrarum ſpatio dirimuntur.* Igitur Tacitus hoc vult intelligi: Corbulonem foſſam eam feciſſe, qua iri & rediri navibus, copias & commeatum e transmoſana Gallia vehentibus, ad Rhenum poſſet: ne quomodolibet neceſſum eſſet ſubire Oceani pericula: eaque maxime, quae ante, coorta ſaeva tempeſtate, furente vento aquilone, claſſem Germanici e Galliis Oceano advectam attriverant, Annal. II. 6. 23. Adhaec metus erat ne Batavi, novarum rerum cupidi, naves per Rheni oſtium adigendas in ſuam ripam traherent diriperentque aut deprimerent. Ita enim de his Hiſt. V. 23. *Cauſſa inſtruendae claſſis, ſuper inſitam genti vanitatem, ut eo terrore com-*

commeatus Galliæ adventantes interciperent. Et lib. IV. 79. *Claſſem ultro Canineſates aggreſſi ſunt : majorque pars navium depreſſa, aut capta.* Diſſentientibus, quos inter Lipſius, impoſuit Dio lib. LX. ferens factam foſſam eo nomine, ἵνα μὴ οἱ ποταμοὶ ἐν τῇ τȣ̃ Ὠκεανȣ̃ πλημμυρίδι ἀναῤῥέοντες πελαγίζωσιν, *ne fluvii, Rhenus & Moſa, in Oceani aeſtu refluentes, alveis excederent.* Neque etiam Corbulo διετάφρευσε πᾶν τὸ μεταξὺ τȣ̃ τε Ῥήνȣ καὶ Μόσȣ, *perſodit quicquid inter Rhenum Moſamque eſt terrarum ſpatii*, ut idem Dio (Eccui enim in his, quae inter ſe pugnant, non potior fides ſit, Taciti, quam Caſſii, perſcribentis de re geſta pridem ante aetatem ſuam?) ſed *produxit* foſſam (ita vero ſignanter Cornelius) non amplius *XXIII. millium* paſſuum longitudine, id eſt, paulo infra ſex milliaria Germanica, quae ferme ſunt inter Rhenum & Geldriam. Et perduxiſſet ad Moſam usque, ut erat animus; niſi id oneris cervicibus miles depuliſſet, cui *effodere rivos cum damno labor* erat, Annal. XI. 20. Itaque, cum minus ex voto ſuccederet Corbuloni optimum inſtitutum; eodem conſilio, ſed alia via & ratione majorisque compendii ergo, id ipſum [illegible]avit poſtmodum L. Antiſtius Vetus:

qui

qui Moſellam & Ararim connectere pa-rabat, ut copiae Romanae per mare mediterraneum, dein Rhodano & Arare ſubvectae, per foſſam, mox fluvio Moſella in Rhenum & Oceanum decurrerent. Sed deſtitit incoepto, invidente AElio Gracili Belgicae legato, Annal. XIII. 53. Atque hercle eam in ſententiam ſi Cornelium accipimus, longe magis conſtat ratio & verbis ejus & facto Corbulonis, quam ſi cum Ryckio foſſam illam putemus ductam inter *Wick* & *Krimpen*, ubi nunc Lecca, Rheni diverticulum; aut cum Cluverio a vetere Rheni brachio, usque ab urbe Leida, ad ſiniſtrum ejusdem fluminis alveum. Eſt enim, ſi verum amamus, idem Rheni brachium, ad quod foſſae illae, Cluveriana Ryckianaque alteris ſuis oſtiis protenduntur. Scio id Rheni os ad auſtrum Moſae nomen aſſumere, & aſſumſiſſe Tacito ſuperſtite, Annal. II. 6. ſed vereor, ut hoc ipſum Rheno illapſum idem Tacitus haec ſcribens adſpexerit, ac Moſae, illud Rheni nomine inſigniverit, non monito lectore; niſi eadem opera ſtudio ſectari ſermonis ambiguitatem obſcuritatemque dixeris. Enimvero alia nimioque dilucidior ejus dictio eſt, id Moſae oſtium ſignificantis:

Spa-

Spatium velut aequoris electum, quo Moſae fluminis amnem Rhenus Oceano affundit; Hiſt. V. 23. Quid? Corbulone modo antequam eam foſſam ageret, literis acceptis a Claudio principe, novam in Germanias vim prohibente, juſſus eſt e finibus Chaucorum *referre praeſidia cis Rhenum?* Annal. XI. 19. hoccine eſt in Gallicam provinciam, inter Moſam & Rhenum, quae Romanis cisrhenana dicta, & in qua ad Rheni ripam, tanquam imperii limitem, praeſidia & caſtra habebant legiones ordinarie: ad arcendos Germanos, neve quis novus Arioviſtus regno Galliarum potiretur, tum ad Galliam Belgicam in officio continendam? *praecipuum* enim *exercitus robur Rhenum juxta* erat, *commune in Germanos Galloſque ſubſidium*; Annal. IV. 5. Atque his e ſtationibus ante venerant milites, C. Caeſari auxilio ſubmiſſi contra Pompejum. Lucanus I. 462.

Et vos, crinigeros bellis arcere Caycos
Oppoſiti, petitis Romam, Rhenique feroces
Deſeritis ripas, & apertum gentibus orbem.

Ex quo apparet, hoc voluiſſe Claudium, ut Corbulo praeſidia copiasque e Chaucorum rum

rum finibus reduceret: non in Batavorum inſulam, utrumque inter Rheni oſtium concluſam, ut inibi foſſam duceret: quod vellent qui a nobis in diverſum eunt; ſed *cis Rhenum*, hoc eſt, in fines Gugernorum & Vbiorum: atque in his eam foſſam actam. Quam vero, ad marginandam firmandamque ſuam foſſam, Cluverius in ſupra laudatum Taciti locum congeſſit argumentorum materiem. parvo labore, admotis quae modo diſputavimus, convellitur. In vetuſtatem injurius: cui foſſae antiquiſſimae ruinas, quae uſque hodie ſuperſunt inter Rhenobergam & Geldriam, invidit, neque eam in tabulis expreſſit: pertractis in eandem incuriam pleriſque aliis Geographis. Contra ea pro foſſa Corbulonis ſubſtituit Leidenſem: nullis illorum temporum annalibus celebratam, eoque recentioris aevi; aut certe non illam Corbulonis, ſed ante factam. Plurium enim mentio eſt Annal. XIII. 18. quibus, & Oceano, naves idem Corbulo adegit in Chaucorum regiones: foſſaſque, numero multitudinis, trans Rhenum, novi & immenſi operis, Druſo jam ante effectas Suetonius tradidit in Claudio cap. 1. quarum unam cum claſſe ingreſſus Germanicus;

cus; ne quidquam fidem Suetonii πρὸς δου-λείαν τῆς ὑποθέσεως ſolicitante Cluverio in Taciti Annal. II. 8. Quidni & aliis locis tum fuerant inter Rheni oſtia, Lugduni etiam, in publicos uſus?

V. His ita expoſitis, ut forte occurrebant, dabis & hanc mihi veniam, Lector, uti porro ſecutus Rheni ripam ex Vbiis Gugernisque excurram ad Batavos. Juvat alium locum excutere, argumenti haud abſimilis, Taciti Hiſtoriarum quinto cap. 19. qui praeteritus, quos vidi, interpretibus, faceſſit negotium, nec immerito. Claudium Civilem, bellum contra Romanos renovantem, intelligas *dirüiſſe molem a Druſo Germanico factam, Rhenumque prono alveo in Galliam ruentem, disjectis quae morabantur, effudiſſe. Sic velut abacto amne, tenuem alveum, inſulam inter Germanosque, continentium terrarum ſpeciem feciſſe.* Mireris, quid Rhenus in Galliam ruat: quaeras, quae Druſiana moles? Vbi enim locorum, inquies, Rhenus in Galliam rueret? qui eam a Germania diſterminavit; velut noſter diſertim ineunte libello de Germania: adde, quem altero amne, Vahalis cognomento, non labi in Galliam, ſed *ad Gallicam ripam adfluere* dixit Annal. II. 6. Nimirum

rum Civilis, victor bello adverſus Romanos, de quo Hiſt. IV. ſed praelio ad Vetera inferior, quo ſumma Romanorum bellicae rei penes Petilium Cerialem erat, Rhenum fuga petierat, regreſſus ad Batavos. Nec tamen auſus armis tueri oppidum Batavorum, ſitum, ut opinor, extra Batavorum inſulam in confinio Gugernorum, cum agri Gallici ora, de qua Hiſt. IV. 12. raptis quae ferri poterant, ceteris injecto igni, in inſulam conceſſerat, quam Oceanus a fronte, Rhenus altero ſui alveo Vahali ad auſtrum, altero ad boream, tergum ac latera circumluit: *gnarus deeſſe Romano exercitui naves efficiendo ponti, neque hunc aliter transmiſſurum.* Hoc interamno terrarum ſpatio concluſus, undis ſe defendere promptiſſimum ratus, interea dum ſecundo flumine, Rheno, a Veteribus ad ſuos devehitur, neque confeſtim a tergo hoſtis urget, Rhenum parat evolvere in Vahalim, eo loco, quo primum pleno alveo divortium facit inque duos amnes ſcinditur, ad munimentum Schenckii, vulgo Schencken-Schantz, olim *Gravenweerd.* Quod ut efficeret commode, *diruit molem* ſive aggeſtam terram illic in oppoſita Galliae ripa, ut par erat (& quidni etiam

in Germanica? (*a Druſo Germanico* jam pridem hoc elatam conſilio, ut majore aquarum Rheni copia per dextrum ejus alveum, extenſum usque a primo ejus divortio ad locum nunc *Iſeloort* dictum, exin parte aliqua per foſſam in Iſalam, hinc in Oceanum derivata, impoſitisque triremibus, Bructeros peteret & Chaucos. Quicquid ejus ſit; diſſipata mole illa, quae morabatur, videtur ibidem e diverſo (nam qui poterat ſecus?) injeciſſe obliquam molem in alterum Rheni amnem ad aquilonem, olim & tum quoque in Germaniam influentem; quemadmodum idem Civilis ante nuperum proelium ad Vetera fecerat, Hiſt. IV. 14. Dehinc pertudit ultro citro adverſam Vahalis ripam, in Galliam effundendae: ubi inchoatum a Druſo aggerem, coërcendo Rheno, ante Paullinus Pompejus abſolverat, *Annal.* XIII. 53. Hac arte uſus Civilis, dextrum Rheni cornu vertit in ſiniſtrum: futurum, extra ripam in deſertam a ſe, ut diximus, Galliae oram diffluentem, & majore vi ac mole agentem undas, ſibi ſociisque praeſidio: tanto magis, quod Romanis, in Gugernorum territorio ſtabulantibus, *deeſſent naves efficiendo ponti.* Sic *velut abacto* amne altero ad boream,

Va-

Vahali oppoſito, relictus *tenuis alveus*, *inſulam inter & Germaniam*, usque a Rheni, quod diximus, divortio ad Oceanum: *ut continentes terrae* viderentur, quae ante hoc fluminis brachio diremtae. Qua quidem opera Civilis id cavit praeterea, ne Cerialis claſſem ad Vetera detentam, quae ſequi ſe fugientem non maturaverat, cap. 18. dextro fluminis alveo ad oppida, proxime Batavorum inſulam Rheno adſita, appelleret, ſuasque adeo copias cum legione decima, modo ex Hiſpania Oceano advecta, Arenaci haerente, & ſecunda ex recens conſcriptis, Batavoduri caſtra habente, conjungeret; de quibus cap. 20. Itaque ex rei geſtae hiſtoria ſituque Rheni, qualem nemo ambigat & Taciti aevo eundem fuiſſe, quoad utrumque alveum, de quo ſermo nobis; nam *Rhenus uno alveo continuus, apud principium agri Batavi velut in duos amnes dividitur*, Annal. II. 6. ex dictis, inquam, nullo negotio colligitur ſalvum eſſe Taciti locum non poſſe, niſi pro eo, quod in vulgatis codicibus legitur, reſcribas *Rhenum prono alveo* IN GERMANIAM *ruentem*. Ita vero ſcripſiſſe noſtrum nullus dubito. Cujus rei rationem quum olim ſciolus prima fronte minus perſpiceret, litura indu-

cta ſubſtituit *in Galliam*. Quid enim? Suadent verba proxima, quibus dirutae Civile molis Druſinae effectum & conſequens noſter, ſui interpres, declarat: *Sic velut abacto amne, tenuis alveus inſulam inter Germanosque, continentium terrarum ſpeciem fecerat*. Idem ergo Rhenus, quem ſuo Civilis effudit amne, inter Batavos & Germanos medius ſit oportet. Porro Rhenus, de quo Cornelius, *prono*, hoc eſt, citato & recto plus minus *alveo ruit*. Quod de Vahali, ſiniſtro ejus brachio, dici nequit: ut quod ſinuoſo flexu Galliae praetexitur. Neque recte acceperis de foſſa, quam volunt Druſi, inter vicum *Iſeloort* & oppidum *Doesburg*: tanquam tertio Rheni cornu, Plinio indicato Hiſt. Nat. IV. 15. quippe quod medium non eſſe inter Batavorum inſulam & Germaniam omnes norunt: neque ſic reſpondeat longitudo inſulae, C. millium paſſuum, tradita eidem Plinio l. c. At cuncta aptabis Leccae, Rheni diverticulo, inter *Wick* & *Krimpen*. Scio hoc velle Cluverium. Verum obſtat exiguum tempus, quo Civilis id opus perfecerat. Sic enim foſſa ducenda erat, ne aquae exundantes humilem inſulam ſtagni inſtar opplerent. Obſtat, quod ita facti ſui Ci-

vili

vili non conſtet ratio; ut ſupra dictum. Nec video, quemadmodum ſatisfiat verbis Taciti, dictantis de toto fluminis alveo, relicto Germanos inter & Batavos. Adde, quod id factum Civilis ſic referatur noſtro, ut non diu poſthinc ſuperfuiſſe videatur. *Fecerat* Rhenus (ὑπερσυντελικὸς χρόνος) continentium terrarum ſpeciem: puta, flagrante bello illo, non ultra. Neque ergo intercedit Plinius l. c. ferens Rhenum duo inter oſtia, Helium & Flevum, *medio ore*, *modicum nomini ſuo cuſtodire alveum*. Loquitur enim de flumine, quale tum & ante fuit ordinarie. Proin alibi quaerenda Leccae incunabula, quae hujus non ſunt loci. Atque eum in ſenſum ſi Cornelium capias, plana & dilucida erunt, niſi fallor, quae impedita Lipſio in Annal. XIII. 53.

LIBER SECUNDUS DE ARA VBIORUM

Ejusque loco & tempore, quo condita.

CAPUT PRIMUM.

Diſputatur, in utra Rheni ripa atque ubi locorum inibi poſita ab Vbiis ara.

ARGUMENTUM.

De Ara Vbiorum Corn. Taciti *loci duo.* II. Bonna, *an Arae domicilium.* III. *Objectio repellitur.* IV. *Collocata fuit in dextra Rheni ripa.* V. *Difficultas removetur.* VI. Corn. Taciti *locus reſtitutus.* VII. *Sitam fuiſſe prope* Tuitium, Deutz *non obſcura, nec pauca ſunt quae arguant.*

Tranſeo ad Aram Vbiorum. Primus & unus aequalium eam ſcriptis nobili-

tavit

tavit Corn. Tacitus, qui Plinio auctore lib. VII. cap. 16. Galliae Belgicae, hoc eſt, terrarum tractus a Sequana ad Rhenum, a Veſpaſiano Caeſare procurator datus, ſitum & mores Germanorum veterum & pernoſſe potuit ob vicinitatem, & veriſſima de his perſcribere, fide in Romana etiam hiſtoria probata, voluit: inſtructus praeterea ad eam rem perficiendam, cum promiſcuis, quos conſcribebant Romani principes viri, qui bellis intererant, tum praeſertim Agrippinae filiae Germanici commentariis, quae *vitam ſuam & caſus ſuorum poſteris memoraverat*, Annal. IV. 53. inque Vbiorum oppido diutiſſime diverſata erat: adjectis & Plinii voluminibus de Bellis Germaniae. Is Annal. I. 39. quum duos Romanorum exercitus diſpoſitos apud ripam Rheni dixiſſet, quorum ſuperiori C. Silius, inferiori A. Caecina praeeſſet, *Legatos ab Senatu Romano*, inquit, *regreſſum jam, apud* Aram Vbiorum *Germanicum adiiſſe*: puta Claudii Druſi Neronis Germanici filium, quem diximus: uno Germanici hereditario agnomine auctoribus appellatum: Auguſti ex Antonia juniore, ſororis Octaviae filia, nepotem: ab eoque in Germaniam ad vindicandam cladem Varianam miſ-

miſſum; qui componendi motus ergo ad ſuperiorem exercitum aſcenderat in Vangiones & Nemetas: poſt redux ad inferiorem, qui apud Vbios. Tum deinde cap. 57.: *Neque multo poſt legati a Segeſte*, (Cheruſcorum, Germanicae gentis ad Viſurgim, regulo, Romanorum ſocietatem amplexo: conflatis horum opera domeſticis inimicitiis cum Arminio) *venerunt auxilium orantes adverſus vim popularium, a quibus circumſedebantur; validiore apud eos Arminio, quando bellum ſuadebat. Addiderat Segeſtes legatis filium, nomine Segimundum. Sed juvenis conſcientia cunctabatur. Quippe anno quo Germaniae deſcivere, ſacerdos apud* Aram Vbiorum *creatus, ruperat vittas, profugus ad rebelles. Adductus tamen in ſpem clementiae Romanae, pertulit patris mandata, benigneque exceptus, cum praeſidio Gallicam in Rheni ripam miſſus eſt.*

II. Quaeritur nunc, quis locus Arae in Vbiis condictus? Nimis laxa eſſe verba Hiſtorici, quam ut definiri poſſit, prima frons loquitur. Sed age tentemus, quid reliqua promittat antiquitas! Sunt qui Bonnam nominent, olim Aram Vbiorum, dein eadem Taciti aetate Bonnam, aut utroque nomine appellatam dictitantes;

argu-

argumentis inducti, quod Vbii his in oris ſedes habuiſſent, qui non procul Colonia Agrippinenſium, capite civitatis, rem divinam feciſſe videantur: tum quod quidam Divus Maternus, viduae in Nain filius & Petri Apoſtoli auditor, circa annum Chriſti LXX. Evangelii myſterio Vbiis & Treveris praedicato, hanc aram ſacratioris religionis ſtudio pioque zelo de medio ſuſtuliſſet. Quae quidem ſic pingue quiddam olent, ut prudens lector non injuria iis auctoribus reponat illud Epicureum, μύθος ἀπίςω. Quanquam enim non eo inficias, Chriſti Soſpitatoris noſtri doctrinam ſub id tempus etiam in communem noſtram patriam, praeſertim in Galliam, fama penetraſſe: de quo haeſitare nos non ſinunt Patrum antiquae Eccleſiae, Irenaei ac Tertulliani teſtimonia, Cellario enotata Diſſert. VIII. de Initiis cultioris Germaniae §. 27. ſeqq. nondum tamen ea erat rerum Chriſtianarum facies in occiduis Romani imperii provinciis, quantae quantae in verba Romanorum adactae: non ea Vbiorum fiducia, ut publica auctoritate (ita vero fieri debuit) ad ritus avitos, ab Romanorum haud abhorrentes ingenio, cum alienigena *exitiabili ſuperſtitione*, ſicut Tacito audit An-

nal. XV. 44. cujus cultores, tanquam profanos, juxta cum Atheis & Epicureis, Romani ſuis ſacris arcebant, commutandos deſcenderent; ut potius ritibus gentilitiis more majorum uterentur, neque adeo offenderent hos, quorum amicitia nihil ipſis, ut ſupra dictum, erat antiquius, nihil magis e re publica: ut qui eſſent juris Italici, ob eamque cauſam gauderent immunitatis privilegio, Paulo J. C. teſte lib. II. Digeſtorum de Cenſibus; quibus proin fas eſſet de ſeſe praedicare ſuo jure quodam, quod Friſiorum regulos Romae inter ſpectacula, delato ſibi in orcheſtra honore praecipuo, exclamaſſe Cornelius retulit, *Nullos mortalium armis aut fide ante Germanos eſſe.* Contra videntur Vbii, una cum ceteris Romani imperii provinciis ab Aſia remotioribus, ſacra Chriſtiana ſuſcepiſſe quarto demum ſeculo: quando Euphratas, eorum epiſcopus, primus orbi innotuit concilio Sardicenſi A. C. CCCXLVII. *ſerius trans Alpes Dei religione ſuſcepta;* ut eſt apud Sulpicium II. 46.

III. Haud paulo majore veri ſpecie pro Bonna militare videri poterat, quod noſter factae Vbiorum Arae mentioni ſubjecit Annal. I. 39. *Duae ibi legiones, prima*

na atque viceſima, veteranique nuper miſſi, ſub vexillo hiemabant. Atqui prima legio, cum Campio inquiunt, Bonnae hiberna habuit, bello ſcilicet Batavico, Hiſt. IV. 25. ceu vero legiones eaedem ex aeſtivis eadem In hiberna ſemper deductae ſint! Sane, quum Germanicus praeeſſet exercitui, in Veteribus hiemabant quinta & unetviceſima legiones, Annal. I. 45. ſed poſtea, bello, quod diximus, Batavico quinta & quinta decima, Hiſt. IV. 35. & ſic aliae alio translatae, arbitrio imperatoris. Dein Tacitus legatos ait Germanicum adiiſſe apud, hoc eſt, *prope juxtaque* Aram Vbiorum: quod de loci alicujus confinio, non de ipſa, ut volunt, Bonna intelligi poteſt, cujus muro & vallo caſtra claudebantur. Rurſus veterani, diviſi in centurias, ibi ſeorſim hibernabant *ſub vexillo*, quo haberi volebant ſeditione mota, ceterarum militarium partium (foſſarum agendarum, viarumque & caſtellorum ſtruendorum) immunes, niſi propulſandi hoſtis. Hi vero praeſidia agitare ſolebant in limitibus imperii, Annal. I. 38. Neque legiones ſemper intra oppida, ſed ſaepe etiam juxta ea in vicis ſtabulabantur brumali tempore, Hiſt. IV. 22. Neque ab his, quae facta ſunt ex ordine,

ne, ad ea quae tum fiebant militum licentia, firmiter argumentando proceſſeris. Noviſſime, quid niſi hoc eſt ludos agere nemine plaudente, quum ſive intra Bonnae muros, ſive in ſuburbano (neque enim quidquam definiunt) Arae locum adſignant, ſine coaevi ſcriptoris aut Geographi ſuffragio? Contra Tacitus nonne Bonnam, oppidum tum temporis in vulgus ſat cognitum, nominaſſet potius, quam *Aram Vbiorum* ſimpliciter? Taceo Bonnam non cepiſſe amplius una legione: nec leguntur plures eo miſſae. Alibi ergo quaerenda Ara, & quidem loco peculiariter dicto: ſive proprium ac vernaculum praeterea ipſi adhaereret nomen, ſive id de Ara inibi collocata duceret.

IV. Itaque e diverſo huc proni ſumus, uti Aram in Vbiis trans Rhenum, ex Taciti ejusque popularium loquendi more, videlicet in Germanica, non Gallica fluminis ripa ſtatuamus conditam erectamque. Neque deſunt nobis ſententiae rationes, ut opinor, plus quam probabiles. Principio quidem, quod ut mox demonſtratum ibimus, priſci eam Vbii ſtruxere patrio numini, antequam in ſiniſtram amnis ripam ſedes transtulerant. Tum vero propterea, quod Cornelius

An-

Annal. I. 59. tradat Arminium, Germanicae libertatis vindicem aſſertoremque, olitantem per Cheruſcos, arma in Segeſtem, arma in Caeſarem Germanicum poſcentem, hoc apud eos ſarcasmo uſum inter cetera: *Coleret Segeſtes victam ripam! redderet filio ſacerdotium!* Nimirum Segeſtes Germanorum horumque belli ducis Arminii conſulta ſuamque adeo patriam ante Quintilio Varo, & nuper admodum Germanico prodiderat: pertracto in partes Segimundo filio, apud Aram Vbiorum antea ſacerdote, poſt profugo ab Vbiis ad Germanos, bellum in Romanos meditantes. Quae Segeſtis perfidia cum vehementer ureret Arminium, ereptaque ſibi nuper uxor, ejus filia, ab Romanis eſſet, non ſine patris compacto & communi cum illis fraude; probris & contumeliis conjectis in Caeſarem exercitumque, *quorum tot manus unam mulierculam avexerint*, hanc addebat hoſtili in ſocerum animo irriſionem & minas, tanquam in cumulum: *Colat victam Rheni ripam!* puta, quam Romani ante cladem Varianam Germanis cis flumen eripuiſſent. *Reddat filio ſacerdotium;* ſi poſſit! perinde quaſi dicat: fore penes ſe & ſocios, ubi bellum contra Romanos proſequendum decernerent victo-

ctoriaque uti vellent, ut poenas perfidiae ab Segeſte repoſcerent, eique agrum ad Rheni ripam adimerent, quem pro amiſſa paterna ditione redditurum ſibi Caeſarem, amicitiae praemium, in ſpem veniſſet. Sed neque hoc affatim vindictae eſſe, niſi & filius in perpetuum exuatur ſacerdotio, quo ille, deſertis Vbiis Romanorum ſociis, ſe quidem amore patriae lubens volensque nuper abdicaſſet; nunc vero, perduellem factum, recuperaturum conſideret, poſtquam eum pater cum legatis ad Caeſarem miſiſſet, *Romano* cum praeſidio in Gallicam Rheni ripam conducendum. Blennus ſit, cui quidem his ex verbis totaque oratione Arminii non fiat perſpicuum, Vbiorum aram nequaquam in Gallia: non Bonnae; ſed in adverſa Germanica fluminis ripa ſitam fuiſſe. Secus enim qui ratio conſtet *Arminio*? qui in parte futurae calamitatis ſoceri reputet abrogandum, nec reſtituendum olim Segimundo infulae honorem dignitatemque; niſi Aram in Germanorum adverſum Romanos in foedera coëuntium poteſtate ac ditione eſſe, aut vero proxime futuram cenſuiſſet bello quod moliebatur iterum: niſi adeo apud citeriorem Rhenum, in agro ab Vbiis deſerto,

to,

„ perſtitiſſet? Adde, quod Germanicus non ita pridem Segeſtis liberis, patrero juventa (ſoliti enim Germani olim a ſacerdotum collegia principum filios juvenes cooptare, juxta cum Romanis, e quibus infra Gruteri inſcriptiones, Capitolinus in M. Antonino cap. 4. & Lampridius in Commodo cap. 1.) & errore filii veniam poſcente, filiam vero neceſſitate ad nuptias Arminii adactam fatente, incolumitatem & ipſi *ſedem vetere in provincia* erat pollicitus, Annal. I. 58. haud dubie in agro cisrhenano, quem Romanis parentem ab annis circiter viginti ante nuperum bellum & Vari cladem, nunc Germani ſuae ditionis fecerant, aut ſe facturos propediem ſpem animo conceperant. Sic vero noſter loqui amat; Germanicumque *veterem* aram, Druſo patri nuper ad Luppiam poſitam, reſtituiſſe ait Annal. II. 7.

V. Dices, in hoſtili cis Rhenum haud videri Arae locum eſſe, qui ex aequo pateat Vbiis Rheno transgreſſis. At inquam ego: coluiſſe oppoſitam ripam populos & Romanis & Vbiis non inimicos; & quidem usque ab eo tempore, quo hi flumen tranſiere. Erat enim e regione Agrippinenſium *Jubonum*, ſeu mavis, *Jugonum*

(ſi

(ſi tamen proba eſt utravis lectio) *civitas*, *Romanis ſocia*, qui proxime Rhenum partem agri ab Vbiis relicti occupaverant, Annal. XIII. 57. Sicambrorum Vbiorumque, a M. Agrippa & Tiberio, ut ſupra dictum, in Galliam traductorum reliquiae; Strabone indice lib. IV. Infimae ſortis homines, ut opinor, qui agriculturam exercerent: tantum ditioribus & qui mercaturam cum Galliis facerent, ſolum vertentibus. Videnturque aut Tencteris Vſipetisve permixti, aut his expulſis alioque concedentibus, illic *lares* penatesque collocaſſe. Sed & Juhonum latus ac tergum verſus ſuperiorem Rhenum *Mattiaci* clauſere: qui provinciales erant & Romanae ditionis. (Vid. Tacitus Germ. 29.) ſedesque habebant inter illos & Seduſios. Nam *protulerat*, ante Vari cladem, (ita noſter l. c.) *magnitudo populi Romani ultra Rhenum ultraque veteres terminos imperii reverentiam.* Hoc in Mattiacorum agro, qua Rhenum attingit, (Juvat eo excurrere in gratiam Naſſaviorum, meorum popularium) Veteraviam complexo terrarumque tractum, quem hodie **den Weſterwald** vocamus, Tacito ſuperſtite, rerum potiente Veſpaſiano, Curtius Rufus, inferiori Ger-

Germaniae praefectus, *recluſit ſpecus quaerendis venis argenti*, Annal. XI. 20. Id quod & nunc hisdem in regionibus effoditur; verum ita, ut pariter atque olim Romanis, eodem auctore Tacito, *tenuis fructus, nec in longum ſit.* Major vis ferri, generoſi chalybis aerisque Cyprii nos beat. Addo Plinium Nat. Hiſt. XXXI. 2. *Sunt & Mattiaci in Germania fontes trans Rhenum, quorum hauſtus triduo fervet.* Quae quidem caloris vehementia num noſtris temporibus thermis Empſanis, Vuisbadenſibus, & quae ſerius frequentari coeptae, Sualbacenſibus inſit, alii judicent.

VI. Injecta modo *Juhonum* mentione, non poſſumus non in laudatum Taciti locum digredi, atque ejus gentis, ſi pote, antiquam appellationem reſtituere. Monſtroſum nomen eſſe, vix ſolo in Germanico natum, facile cuivis non obeſae naris ſubolet. Veram lectionem character proditurus erat, quo Taciti poſtremi Annales exarati. Quod utinam una cum hiſtoriis Cornelianis illius exemplum fuiſſet editum, quum primum e manuſcriptis codicibus publici juris fierent! Suſpicor fuiſſe ſcripturam Longobardicam, qua medio aevo Latini auctores deſcripti. Vide eam apud Mabillonium Itin. Ital. p. 214. alibi.

Hac dextrum cornu literae V. majuſculae, paulo depreſſius, feſtinantis librarii calamo cum ſequente litera I minuſcula coaluit; unde *Jhuonum* effinxere primi editores pro *Vibonum*: quam veram lectionem eſſe quovis pretio decertem. Ita non minore oſcitantia ex *Vigevonibus*, Germaniae populo, Plinio & Melae memorato, factos *Ingevones*, *Vi* detorto in *In*, conjectat Beatus Rhenanus Rer. Germ. lib. III. Eademque ab litera V. negligentius picta cenſeo eſſe, quod nunc editi codices Taciti Germ. cap. 40. legant *Nuithones*, pro eo, quod Tacitus ſcripſerat *Vithones*, Witten: oppoſiti Suardonibus denen Swarden ſeu Schwartzen. Ex *Vithones* Italus medii aevi librarius finxit *Vuithones*, (ſolent enim Itali V conſonae vocalem *u* adjicere, cum reddunt Germanorum W.) dein alius monſtroſiore errore *Nuithones*. Sed veniamus in rem praeſentem. Adjuvat optimus Florentinus codex, qui habet *Vibonum*; Curtio Pichena teſte: confuſum nomen cum Vibonenſibus, oppidi Campaniae incolis, de quo Plinius III. 5. *Vibones* dicti olim vernacule quaſi Weyhen/ vocabulo *milvos* connotante: ſive incerta ac fortuita de cauſa; ſeu mavis ob mil-

vi-

rapacitatem, qua haud ſecus ac
, quos apud Lucianum Home-
Vlyſſes, proximos Germa-
que Romanorum hoſtes, in-
potius quod milvi iis eſſent
De his Tacitus Hiſt. IV.
rum cohortium ſigna, inde
ſque ferarum imagines,
manicae) *inire proe-*
ſit in rebus veteris
neſciat impoſita populis
a ferocia belliqueſtudio. Quid?
quod alii libri *civitatem Jugonum* exhiben-tes a *jugendo*, quod milvorum eſt, genui-nam veteremque lectionem peregrina ſub veſte oſtendant: Latine reddituri ſcilicet vim nominis Germanici, paulo inſolen-tioris viſi. Dehinc tranſiit in proprium nomen virorum: forte quod & hi, aut majores eorum, clypeis gererent milvo-rum imagines loco gentilitiorum inſi-gnium, *Wibo* primus Osnabrugenſium epiſcopus. Sic enim genuinum nomen, & ut olim ſcribebatur, non Wichonis, ut alii, ex autographis reſtituit doctiſſimus Paderbornenſis Praeſul, Ferd. Furſten-bergius, ad calcem Monument. Pader-born. pag. 319. & 321. Inde compoſita Germanorum nomina Wichbold/ Wig-

bert & Wichard. Trita vero etiam Germanis quondam nominum terminatio in vel *on*: ſic *Aliſo* vel *Aliſon*, caſtellum Tacito nobilitatum: nunc Elſen / vicus ad Luppiae & Almae confluentes. Sic aliquot poſt ſeculis, in confeſſione fidei, ſubjecta canonibus concilii Liftinenſis A. C. IↃCCXLIII. vetuſtiſſima lingua Teutonica: *Gelobis tu in Chriſt Godes ſuno?* Et Vangiones, Ambrones, Eburones, gentes Germanico uſae idiomate.

VII. Igitur Aram in ripa cisrhenana domicilium habuiſſe, adhuc demonſtravimus. Quem locum vero inibi occupaverit, nunc nobis exquirendum eſt. Et aram quidem, cui impoſita, lucumque circum conſitum, longum exhauſiſſe aevum, omnes norunt. Neque ut eorum vel veſtigium relinqueretur, paſſi fuerant, ut alibi, ita hic quoque, primi *Chriſtiani* praeſules: veriti ne plebs ad veterem ſuperſtitionem relaberetur. Quod ſi tamen in mentem nobis revocemus, quae ſupra §. 3. enotavimus; promtum eſt ſuſpectare duas legiones nuper, ſeditione mota, ab A. Caecina legato in civitatem Vbiorum reductas, Annal. I. 37. tum praeter ordinem hiemaſſe proxime Coloniam Agrippinenſium; veteranos autem ad praeſidia

ſidia agitanda trans Rhenum miſſos, in adverſa vicinaque Rheni ripa, ubi nunc Tuitium, Deutz / oppidum Colonienſi Archiepiſcopatui cum pleraque omni Vbiorum regione adſcriptum: atque illic vicino in luco, quemadmodum mos erat, Aram exſtructam: apud quam legati ab Senatu Romano Caeſarem Germanicum adiere: qui videtur plurimum diverſatus in ipſa Vbiorum urbe & prope eam, loco quem diximus; ſive in gratiam uxoris ſuae Agrippinae, Auguſti neptis, patrisque ejus Agrippae; ſive quod alia ipſum eo invitarent animi corporisve oblectamenta; ſeu quod trans Rhenum (adſpectu Galliae dico) locum tutum arbitraretur a furore militum. Id quod & Lipſius eo perſpexit usque, ut propius adfuiſſe ab Vbiorum oppido Aram dictaret, in Annal, I. 57. Equidem uxor Germanici inde a perduellionis reis iisdem duarum legionum caſtris, atque adeo ab Arae vicinia, perrexit cum muliebri agmine ad Treveros, Annal. I. 40. 41. Et pars militum in via Agrippinae occurſantes, plurimi ad Germanicum regreſſi erant, qui in circumfuſos inter cetera his verbis invexit: *Quod nomen huic coetui dabo? militesne appellem, qui filium imperatoris*

veſtri (Tiberii, qui ſe adoptaſſet; vel ſui ipſius, cui filius infans, Cajus Caligula, deducendus cum matre e caſtris in Treverorum coloniam: nequidquam vindicaturo injuriam eodem Caligula, rerum potiente; ut Suetonius cap. 48.) *vallo & armis circumſediſtis*? Ut vallum circa caſtra, non ex ordine, ſed tumultuarie illic poſita, recens egerint, ad detinendum cuſtodiendumque Germanicum & Cajum filium: nec non cauſa oppugnandi ac diripiendi Vbiorum oppidi; quicquid contra in h. l. Freinshemius. Namque paulo ante eidem Germanico, Moguntiaci agenti, de inferiore exercitu nunciabatur *deſtinaſſe excidio Vbiorum oppidum*, Annal. I. 36. Id vero de numeroſiore milite iisdemque binis legionibus, hoc oppidum, poſthinc Coloniam Aggrippinenſem de filiae Germanici nomine appellandum, obſidentibus acceperim: *turpi agmine*, ut noſter cap. 37. qui vel effracta domo Germanici necem ei intenderant, ni vexillum traderet, cap. 39. De Agrippinae, inquam, colonia Cornelium acceperim; nec immerito: ut quam unam *Vbiorum oppidi* appellat nomine; non item Bonnam: non alium locum in Vbiis, quisquis eſt; Annal. XII. 27. Ergo duae legio-

giones illae cum veteranis tum ſubſtitere apud Coloniam Aggrippinenſem: atque ibi locus, quo legati Germanicum adiere: adeoque & Ara. Porro ipſum nomen loci **Deutz**/ ſi quid video, priſcam ſuperſtitionem redolet. Deſcendit enim ab eo, quod Tacito *Tuiſco* vel *Teutas*; eſtque ſuper, ut omnes norunt, in *Teutoburg* (unde *ſaltui Teutoburgienſi* nomen, Annal. I. 60.) olim Ægyptiis Θωὺθ vel Θωὺθ, teſte Euſebio Praepar. Evang. I. 9. vernacule **Theut** / vel **Deut** aut **Diet** (molliore litera, quae procedenti aevo placuit; unde **Detmold** hodie, quod olim **Thetmelle** vel **Thietmalle**; ſic **Diedenhofen** pro **Thiedenhofen** / **Dietz** pro **Thietz**) vetuſtiſſima Germanica Mercurii appellatio: quem aliter *Wodan* ſeu *Godan*, **Gott** / per excellentiam a ſuis quorumvis locorum Germaniae cultoribus nuncupatum, *Theutatis* nomine inter Deos dicatum maxime Longobardis, Germaniarum populo, Paulus Diaconus memoriae prodidit lib. XVIII. de Geſtis eorum. Hinc de Germanis quoque capiendus Lactantius Inſtit. I. 21: *Galli Heſum & Theutatem humano cruore placabant Deos.* Et ſexcentis locis atque oppidis aliis Germaniae, ſive a *Theut*, ſeu a *Godan*, inibi

culto gentilitio ritu, olim nomen impoſitum, pridem viris doctis liquido comprobatum eſt, quos laudat Furſtenbergius Monum. Paderborn. pag. 38. Verum de Mercurio mox plura.

CAPUT SECUNDUM.

De tempore, quo condita, & cui tanquam Numini dicata ab Vbiis Ara. Deque Vbiorum ſacerdotibus.

ARGUMENTUM.

Vbiorum Ara Deo patrio, & quidem Mercurio *conſecrata fuit;* II. *Non item* Auguſto Caeſari: *controverſante* Juſto Lipſio. III. *Qui* ſacerdotes; *an e Druidarum ſchola.* IV. *Epilogus.*

Qui de Divo Materno, infelici Vbiorum Arae deſtructore, ut ſupra dictum, compoſuere fabulam, iidem Mercurio tanquam numini dicatam volunt. Neque multum a veri abludunt ſimilitudine: ni ipſam contingunt veri metam; veluti priſca fabularum licentia ſaepe

ihil trahit ex vero. Nam & Gal-
manos, utriusque Rheni ripae
um maxime Mercurium co-
ſint plurima ſimulacra, in
publicis expoſita, quem
atorem artium ferant, quem
us pecuniae mercaturasque ha-
vim maximam arbitrentur, Caeſare
Tacito auctoribus conſtat. Nec mirum
& Vbios eundem Mercurium praecipua religione proſecutos; ut quos idem Caeſar laudavit ceteris Germanis humaniores, propterea quod Rhenum attingant, multique ad eos mercatores ventitent, & ipſi ob propinquitatem Gallicis ſint moribus adſuefacti, Bell. Gall. IV. 3. Et fidem facit vetus inſcriptio, reperta in Gallica Rheni ripa apud caſtellum *Waſſelburg*: ſervata Grutero Inſcript. pag. 54.

DEO MERCURIO
ALTEGIAM TEGULITIAM COMPOSITAM
SEVERINUS SATULLINUS C. F.
EX VOTO POSUIT L. L. M.

Altegia eadem quae *attegia*: indicante ipſa illius ſcriptura barbarae vocis originem, fruſtraque e Latio ab *attegendo* repetente Salmaſio in Solinum p. 220.

 Mau-

Maurorum enim mapalia attegias appellavit Juvenalis Sat. XIV. 196.

Dirue Maurorum attegias, caſtella Brigantum.

Eſtque illorum idiomate الطخية *umbraculum, tentorium:* ab etymo طخي *expandit.* Et vetus onomaſticum: *Attegiae,* σκηνοπηγία. Rufinus item reddidit *componi attegias,* quod Joſephus Bell. Jud. VII. dixerat σκηνοποιεῖσθαι. Neque vero legerim *Satullinus,* ſed *Catullinus:* ſuetum Romanorum nomen, quod vide apud Spartianum in Severo cap. 13, Reperias enim tum Latina Vbiorum, Batavorum aliorumque provincialium nomina. Fuit haec privata aedicula Mercurio poſita. Ergone publica ara Vbiorum eidem dicta? Ita vero Romanis uſu receptum, ut privati Dii iidem eſſent, qui publici. Hinc lex XII. Tabularum apud Ciceronem *II. de* Legibus: *Separatim nemo habeſſit Deos: neve novos, ſed nec advenas, niſi publice adſcitos, privatim colunto.* Bructeri quoque, Germaniae populus, ad Luppiam flumen in lucis aras habuere, apud quas tribunos ac primorum ordinum centuriones e copiis Varianis mactarunt; quemadmodum Marti ac Mercurio (*penetralibus Germaniae Diis,* quos vocavit Arminius,

An-

Annal. II. 10.) Hermunduros proelio fundendos Catti devovere. Tacitus Annal. I. 61. & XIII. 57. De his Lucanus IV. 444.

Et quibus immitis placatur ſangine diro
Teutates, horrensque feris altaribus Heſus.

Sic Eburones, gens Germanica ad Moſam, Lunae inter Deos habitae aram ſtatuiſſe videntur; unde oppido *Arlun* in Ducatu Luxenburgico nomen: quaſi dicas *Aram Lunae*. Et Lunam Deorum numero Germanos duxiſſe doctiſſimus Imperator commentatus eſt, Bell. Gall. VI. 21. Praeter Mercurium tamen & Martem inter numina Vbios habuiſſe e Suetonio colligas perhibente, Vitellium Imperatorem *miſiſſe pugionem Othonis, quo is ſe occiderat, in Agrippinenſem Coloniam, Marti dedicandum:* quod in ea primum eſſet ab exercitu Imperator conſalutatus. Niſi malis ſuſpenſum pugionem apud aram Martis, qualem in porta Praetoria legionum caſtra praeferebant. Templum vero etiam Bonnae Marti dicatum fuiſſe, probat vetus lapis, inibi repertus, & deſcriptus Campio Epiſt. 3. Modii ad Lipſium, quae exſtat inter ejus Novantiquas Lectiones, recenſitas Grutero Lampad. Art. tom. V.

PRO

PRO. SALVTE. IMPP.
DIOCLETIANI. ET. MAXIMI
ANI. AVGG. CONSTANTI ∴
ET. MAXIMIANI. NOBB.
CAESS. TEMPLVM. MARTI ∴
MILITARIS. VETVSTATE. COL
LAPSVM. AVR. SI ¦ ¦ TVS. PRAE
FEC. IM. S. A. SOLO. RESTI
TVIT. DIE XIII. KAL. OC.
∴ VSCO. ET. ¦ ¦ NVLINO. COS.

Lego & expono: *Pro ſalute Imperatorum, Diocletiani & Maximiani* Herculei, adſciti ab illo in ſocietatem imperii, *Auguſtorum, Conſtantii & Maximiani* Galerii (quorum ille tum Galliam pacaverat, Alemannorum LX. millibus caeſis. Eutrop. IX. 15.) *nobiliſſimorum Caeſarum, templum Martis militaris, vetuſtate collapſum, Aurelius Sextus, praefectus* auxiliarium (Putares eundem eſſe aut certe ex eadem familia cum Sexto Aurelio Victore, qui auctor creditur libri de Viris illuſtribus urbis Romae & de Caeſaribus, floruitque ſub Conſtantio) *impenſa ſua a ſolo reſtituit, die XIII. Kal. Oct. Tuſco & Anulino coſſ.* Marti *militari* hic nomen eſt (vix legas alibi) non quod Vbii, cum ab Auguſto eſſent in Galliam traducti, eo in templo aram ipſorum de nomine appellandam

con-

conſtituiſſent, ad quam jurisjurandi Deorumque religione ſe adſtringerent, in fide manſuros ac militaturos contra hoſtes Romani nominis: nec quod aram illic Augusto in beneficiis memoriam conſecraſſent, ut Campius voluit dicto loco & cum eo Lipſius; ſed quod milites hoc in fano vel ſacramentum dicerent, vel ſacrum ſolenne Marti quotannis facerent. Hinc militaris dictus; quia cultus inibi a militibus, non item ab Vbiorum Bonnenſium plebe. Neque vero paenulam quisquam nobis Grammaticus injiciat, cauſſatus, non altare, ſed aram Vbiorum dictari Cornelio: *aras* autem ſolis Diis inferis maximeque Principibus, *altaria* Superis poni atque inferis. Scio Servii hanc ſubtilitatem eſſe in quintam Eclogam Virgilii; ſed nec clam me eſt, id diſcriminis non obſervari auctoribus, atque ipſi noſtro, locis in medium prolatis: idemque Solis ac Veneris aras memorat, qui inter ſuperos dicati.

II. Huc vero ades, Juſte Lipſi, cui plurimum noſter Cornelius, & tute ipſi debes! Faxis, tecum ſigna conferam: haſtatus miles cum triario. Ad Annal. I. 57. de Ara noſtra adſpergis iſta: *Quicquid hodie ſit, puto originem ei loco a veneratio-*

ratione Auguſti, cui novo coeliti ara illic, recepta adulatione, exſtructa, uti ara Lugduni: & ad eam ſacerdotes ex primoribus gentis, inter quos Segimundus. Nitar pro veritate, pace tua, quia cauſae, niſi fallor, bonitas a me eſt. Dicis Aram poſitam erepti e vivis Auguſti manibus, uti aram Lugduni. Non repugno, quod ad Lugdunenſes, de quibus epitome Livii lib. CXXXVII. *Ara D. Caeſari ad confluentem Araris & Rhodani dedicata;* & Suetonius in Claudio cap. 2. Addo Narbonenſem plebem, cujus arae *inſcriptionem* ex Adolphi Occonis Numiſmatis dabit Roſinus Ant. Rom. lib. II. cap. 2. Sed heus, doctiſſime Lipſi! dictas Auguſto, novo coeliti, ſacratam pariter ab Vbiis Aram. Quo rei indicio? quo teſte? Recepta, inquis, adulatione: gentium puta, quae Auguſti imperio collum ſubdidere; ergo & Vbiorum. Conſecutio nulla. Quid, ſi liberalis ſim, largiarque dedicaſſe & Vbios Auguſto aram eodem Mercurii luco, addito ſimulacro ejus, de more: ideoque captum Germanicum ejus loci amore quodam ac dulcedine? Nihil tamen ad hanc, de qua ſermo nobis. Credis Cornelio? Scio non detracturum fidem verbis tuae Muſae, tui amo-

amoris. Audi eum de Segimundo, Segeſtis filio: *Anno*, ait, *quo Germaniae deſcivere, ſacerdos apud Aram Vbiorum creatus, ruperat vittas, profugus ad rebelles*, Annal. I. 57. Ergone Ara jam tum fuit in Vbiis, quum Germani ab Romanis deſciſcerent? Id vero affirmat Tacitus: nequaquam tacite: ſed aperte & rotunde. Quaerendum igitur, quo de Germaniarum motu exaudiri velit: quo tempore, quo anno factus. Gemina Germanorum rebellio ante Caeſarem Germanicum, imperante Auguſto, fertur rerum Romanarum ſcriptoribus; ipſeque Tacitus eodem libro cap. 10. perſtrinxit *Lollianam Varianamque cladem*, deque iis conqueſtum inquit populum Romanum, ut quas vitio daret ſecus adminiſtratae reipublicae extremis annis Auguſti; ſuffragante Suetonio in Auguſto cap. 23. Quicquid ſit de rebellione illa; novimus Romanos, *raptores orbis*, quos vocat Galgacus Scotus apud Tacitum Vita Agricolae, ſolitos in culpam vertere, quod vero rei vocabulo eſt ereptam injuria libertatem aſſerere. Et M. Lollius quidem (ut nihil dicam de Julio Caeſare, quem ante bis in Germania infeliciter pugnaſſe non diſſimulavit Eutropius lib. VI.

utut

utut eam rem ſuis commentariis praeteri-
ret Caeſar, ignominioſum ratus nullibi non
vincere: ut jure quodam ſuo in ipſo infide-
litatem notaret Aſinius Pollio) primam
cladem a Germanis acceperat, amiſſa
aquila quintae legionis. Auctor Vellejus
Paterculus lib. II. 98. Hinc cura Germa-
nici belli Druſo delegata: eoque anno urbis
IↃ CCXLV. defuncto (ut Dio lib. LV.)
fratri Tiberio Neroni. Vix tamen con-
fectum bellum, quum Tiberio in urbem
regreſſo, primum Germania, ac dein ite-
rum iterumque rebellaret, exeunte *im-
perio* Auguſti; eodem Vellejo teſte, qui
ipſe rebus tum geſtis interfuit, Neronia-
narum laudum praeco nimius. Ad extre-
mum, quum bello ſubacta a Druſo pars
Germaniae circiter viginti annis, *brevi
gaudio*, ut Florus, aegre in officio *con-
tineretur*; Quintilius Varus, ſuperſtite
etiam Auguſto (omnes norunt) gravio-
re cum trium legionum jactura ab Armi-
nio oppreſſus, neceſſitatem Auguſto im-
poſuit, quamobrem ad eam vindicandam
Germanicum proconſulari poteſtate in
Germaniam mitteret, octo legionibus im-
poſitum: eopſe anno quo Nolae in Cam-
pania deceſſerat: a quo Annales ſuos exor-
ſus noſter, duobus Sextis, Pompejo &
Apu-

Apulejo coss. quippe exercitui ad Rhenum jam praeerat Germanicus exceſſu Auguſti nuntiato. Sueton. in Caligula cap. 1. Illam Vari cladem tute, Lipſi, rejicis in annum urbis IↃ CCLXVII. Ego vero uno anno priorem dixerim, atque ad quintum ante obitum Auguſti retulerim, qui deſiit in vivis eſſe A. IↃ CCLXVII. quem diximus. Ita enim Tacitus Annal. I. 62. *Igitur Romanus, qui aderat exercitus, ſextum poſt cladis Varianae annum, trium legionum oſſa moeſti ſimul & infenſi condebant.* Sed eſto; de quota Germanorum cunque defectione ante Germanicum ad Rhenum miſſum ſermo ſit Cornelio; perinde vincam. Poſtremam tamen adſpicere magis placet: ut quam ſecuta Variana clades, Romanis infauſtior ac paene exitiabilis, ob eamque cauſam Hiſtorici populique Romani recenti memoriae infixa altius: ait enim ſimpliciter & ſignate: *Anno, quo Germaniae deſcivere:* nimirum, quo illae *jugum excuſſerant, & flumine* (Rheno) *non Oceano defendebantur;* Britannis teſtibus, Agric. cap. 15. Atqui hoc factum deletis copiis Varianis: atque adeo vivo Auguſto. Quum dicit *Germanias*, numero multitudinis; non vult intelligi de ſuperiore & inferiore ad utramque Rheni

ripam, ut ſaepe alibi; ſed de utraque ad dextram ejus fluminis ripam: usque a Mattiacis, de quibus ſupra, ad Oceanum, atque inde ad Albim; quippe gentes eo terrarum tractu ſitas Druſus & Tiberius ante ſubegerant. Deinde Segeſtes eodem, quo haec geſta ſunt, anno pro filio juvene interceſſit apud Germanicum, ut redderet, non multis abhinc annis, ſed nuper admodum ademtum ſacerdotium: allegatque ſuam in Romanos fidem, *qui violati foederis non ita pridem apud Varum reum feciſſet, detuliſſetque Arminium*, Annal. I. 58. Nondum das manus? vis plura, Lipſi? Age vero, adde, quod Segimundus non eodem ipſo anno, quo Germani deſciverant, ſacerdos apud Aram Vbiorum creatus dicatur Cornelio; ſed tum vero *rupiſſe vittas, profugum ad rebelles*: ut quod unum memoria dignum atque ad rem ſuperiore & praeſente bello geſtam pertinere probe ſuo judicio arbitratus eſt. Adde, quod Livio ſit altum ſilentium de conſtituta Auguſto Caeſari in Vbiis ara eo loco, quo data opera dedicatam eidem a Lugdunenſibus aram perſcripſit; idemque de ceteris auctoribus tenendum, qui res Auguſti perſecuti ſunt. Adde in cumulum, quod ad ſuſce-

ptum usque ab Vbiis Chriſtianismum aram ſuperſtitaſſe non ſubleſtae fidei auctores tradiderint. Vbiosne vero interea tempo-ris non ſaeviiſſe in Romanorum principis monumentum, foedae adulationis notam & indicem, putabis; quum exempli gra-tia, bellum parantibus Batavis, una cum Treveris conſilii ſocietatem acciperent perficerentque deſtinata, excuſſuri e cer-vicibus ſervitutis jugum? Hiſt. IV. 77. Nonne mutata rerum facie, aram e me-dio ſuſtuliſſent; quemadmodum Germani transrhenani, duce Arminio, Druſi tu-mulum & aram ad Luppiam disjecerant? Annal. II. 7.

III. Adhuc de Ara dictum. Sacros ve-terum Germanorum ritus ut nunc attin-gamus, nemo a nobis jure flagitet: ut quos perſcribere ipſe ſuperſedit Tacitus; ſive quod a ſacris Romanorum non mul-tum abhorrerent; ſive quod efferre in vul-gus Deorum ceremonias nefas eſſet, pari ille quidem cum Cicerone conſilio, ora-tione pro Domo ſua: *Nihil loquor de Pon-tificio jure, nihil de ipſius verbis dedicatio-nis, nihil de religione, ceremoniis. Non diſ-ſimulo me neſcire ea, quae etiamſi ſcirem, diſſimularem, ne aliis moleſtus, vobis etiam curioſus videar.* Dabunt alii, quae ſciri

poſſunt ex Romanorum aliarumque gentium cum Germanorum ritibus convenientia. Verbum addimus de materia & forma altarium. Plerumque lapis ceſpiti imponebatur. Eſt tamen, ubi ſtructurae artificio ſuperbirent; quod de Ara Crodonis, in arce *Hartzburg* prope Goslariam, obſervavit Heineccius peculiari libro de Crodone. Nec ſcio, an Vbiorum Ara digna ſit olim habita, quae literarum monumentis celebraretur; niſi & reliquas cum mole antecelluiſſet, tum aedificii praeſtantia. Sed nunc disquirimus, quibus Vbii ſacerdotibus uſi: num e Druidarum familia; an gentilitiis ſuisque inſtitutis ſacra Deo patrio fecerint? Et Cajus Caeſar quidem de noſtris majoribus prodiderat, *neque Druidas habere, qui rebus divinis praeſint, neque ſacrificiis ſtudere;* Bell. Gall. VI. 21. Falſo utrumque: nam ſacerdotes aluiſſe Tacitus auctor eſt libello de Germania; utcunque Druidarum non appellet nomine: quo veniſſe adhuc eorum collegia ſola in Britannia Galliaque videntur. Et ſacrificaſſe homines ſuperius viſum: manifeſto indicio, hos a Druidarum ceteris inſtitutis non fuiſſe alienos. Erat enim illa Britannis, a quibus initio profecta, dein Gallis, Germanis denique

Rheno

Rheno propinquis, poſt quoque remotioribus, communis immanitas. Ac puto & horum e grege fuiſſe Liberum, quem apud Cattos clarum ſacerdotio cumque Arminio & ſociis contra Varum conſpiraſſe, neſcio quo auctore, qua fide, obſervavit Aventinus Annal. Bojor. lib. II. Neque eam inficias & Vbios, Gallicis moribus adſuetos, inter primos Germanorum eadem ſeſe olim dira ſuperſtitione obſtrinxiſſe. Quum tamen ſub Auguſto & qui eum ſecuti, Imperatoribus, illa ἀνθρωποθυσία iteratis edictis coërceretur; aequum eſt credere & ipſos haud detrectaſſe obſequium, ſervatis ceteris Druidarum ceremoniis ritibusque, qui minus in Romanorum odium incurrerent. In ipſa vero Germania, praeſertim apud Saxones, humanae hoſtiae uſu retentae ſunt, donec ſacris Chriſtianis initiarentur. Id vincit Capitulatio, quam vocant, Caroli Magni, edia Furſtenbergio e codice MS. Palatino Bibliothecae Vaticanae, ad calcem Monum. Paderb. pag. 323. *Si quis hominem Diabolo ſacrificaverit, & in hoſtiam more paganorum Daemonibus obtulerit, morte moriatur.* Porro, ſicut in Gallia olim Druiadibus vel Dryadibus, quarum crebra mentio Hiſtoriae Augu-

ſtae ſcriptoribus; ita foeminis vatidicis ac ſortilegis plurimus apud Germanos, quales & Vbii erant, honor fuit habitus. In his Tacito celebrantur *Alrunia* atque *Velleda*, quae nationis Bructerae, late imperitabat, ceſſura divinationem ditionemque. *Gannae*, famoſae mulieri ſub Domitiano: cujus impoſturae quum abiiſſent in proverbium, factum hinc opinor translatum Longobardis in Italiam priſcum verbum *gannare*, nunc *ingannare*, hoc eſt, *fallere*, *fraudes conſuere*, & Latinis auctoribus medii aevi *ſubſannare*. Ac Vitellio vaticinatam Cattam mulierem, cui velut oraculo acquieſceret, ita demum firmiter ac diutiſſime imperaturum, ſi ſuperſtes parenti exſtitiſſet, Suetonius auctor eſt. Huc referimus *Claudiam Sacratam*, Vbiam mulierem, qua cum Cerialem habuiſſe ſtupri conſuetudinem ex vulgi fama narravit Tacitus Hiſt. V. 23. Sed vereor, ne ſacerdos fuerit collegii in Colonia Agrippinenſi conſtituti Claudio Caeſari conſecrato atque in Deorum numerum relato. Tale collegium Romae, & quidni etiam in colonia ab ſe condita? in honorem mariti conſcripſerat Agrippina, matrona ejus; de quo idem Tacitus Ann. XIII. 2. *Decreti & a Senatu duo lictores,*

fla-


flaminium Claudiale, hoc eſt, ut eſſet flaminica Claudii. Aut vero puella ſic dicta fuit, quod eſſet Deo patrio *ſacrata*, praecipuaeque nobilitatis: quam Cerialis de rebus praeſentibus conſuleret; aut cui dona ferret, ut Germani Velledae, re bello feliciter geſta. Quo ſenſu Apulejus XI. metamorph. *ſacratos* dixit & Auguſtinus de Civit. Dei II. 26. *electos ſacratos*, hoc eſt, *ſacerdotes* honoratiores, qui Deorum ſacramentis & myſteriis initiati ſunt. Vectius etiam Praetextatus, ut eſt apud Macrobium, Fabiae Aconiae uxori defunctae poſuit hoc epitaphium, SACRATAE APUD ELEUSINAM JACCHO, CERERI ET CORAE, h. e. *Proſerpinae*. Itaque ex his, quae diximus, nemini obſcurum eſſe poteſt, & Segimundum, Vbiorum ſacerdotem, e Druidarum ſchola fuiſſe atque in Gallia horum diſciplina ritibusque imbutum. Quod ipſum & poſtmodum Germaniae principibus nobilibusque, Romanorum ac dehinc Francorum ſociis, verſum in morem videtur; etiam poſtquam Chriſto nomen dedere. Indeque ab antiquiſſimis temporibus conſuetudine, quaſi lege, receptum exiſtimo, ut nunc etiam Monaſterienſis Cathedralis Eccleſiae canonica-


tuum candidati Pariſios mittantur ſtudiorum cauſa. Notabis tamen Romanorum vafritiem, Germanorum principum filios juvenes ſua in provincia ampliſſimis ſacerdotiis admoventium: ut eo velut ſervitutis condimento & parentes demulcerent & filiis ſuarum partium a pueritia inſtillarent ſtudium: quod Segeſti & Segimundo accidit.

IV. En tibi, polite Lector, quae caliginoſa & cana e vetuſtate expromta, de celeberrima Vbiorum Ara in mentem venerant! Ea vero, ſi in ſummam *collata*, quemadmodum a nobis disputata ſunt, recta reputes via; intelligas eo te volentem quaſi manu ducere, ut ſic exiſtimes: Aram ab Vbiorum gente poſitam pridem ante quam traductam in Galliam M. Agrippa in fidem acciperet: poſitam vero, non Caeſari Auguſto, in *Deorum* numerum translato, ſed patrio numini, quodquod eſt; ni ſit Mercurius, quem ſupra diximus: lectis ſacerdotibus ex nobilitate gentis Germanicae, tum ſuae, tum cisrhenanae; ſervato tamen Arae *Vbiorum* nomine, a priſcis agri cis Rhenum incolis, quorum poſteri apud eam rem divinam facerent, propter antiquam loci reverentiam.


JO. EBERHARDI RAU
DE
TUMULO HONORARIO CAJI ET LUCII CAESARUM
NOVITER REPERTO
IN CONFINIIS VBIORUM
AC
TREVERORUM
LIBER SINGULARIS
CUM TABULIS IN AES INCISIS.

TAB. I.




ERA MON

VE







DE

UMULO
NORARIO
JI ET LUCII
AESARUM.
IBER SINGULARIS.
CAPUT PRIMUM.

numentum apud Caſtellum **Junkerraht** *deſcribitur, & cui poſitum ſit, diſputatur.*

ARGUMENTUM.

Scriptionis occaſio. II. *Rudera & ſitus monumenti apud Caſtellum* **Junkerraht.** III. *Videtur Cenotaphium eſſe, Cajo & Lucio, Auguſti Caeſaris nepotibus, compoſitum ab exercitu: inferias quotannis facientibus Vbiis ac Treveris.*

Non

Non ita pridem, Rheno transmiſſo, veni in regionem Eifaliae, quae nunc paret Illuſtriſſimis Imperii Comitibus a **Manderſcheid**. Forte iter dabatur in agrum, ditionis eorundem Comitum, ſtemmatis Blanckenhemici, quo in valle, continuis utrinque montibus obſeſſa, patet Caſtellum **Junkerath** / cognominis Dynaſtiae princeps locus. Non procul hinc in orientem, ad Kyllam flumen, haud longo intervallo in Moſellam ſpargendum, officina ferraria erat, quo digreſſus ſermones miſcui cum accolis, dudum mihi notis & ſpectatae fidei hominibus: qui injecta mentione vetuſti, ut ajebant, monumenti, non multis inde paſſibus trans Kyllam adſiti, in Comitatu Cronenburgico (perinde juris Blanckenhemienſis, ſed fiduciariae poſſeſſionis titulo adſcripto Ducatui Luxenburgico) facile meam cupiditatem incendere, ut coram inſpicerem adumbraremque in pugillaribus. De nummis addebant, inibi loci effoſſis: horum ſe copiam facturos mihi in cumulum polliciti.

II. Quod hujus monumenti ſupereſt, longi temporis injuriae ereptum, ſic habe: In media convalle proſtat area rotunda,

Lunda, circiter ccc. paſſuum, ſi transver-
n metiaris: tota coaequata (niſi quod
mo & hortis arvoque recens diſtincta
his, qui nunc eam poſſident) paulum
pra circumfuſam humum elata: aggere
rcumdata atque ei impoſitis bis ſenis tur-
culis e caeſo lapide, latis VIII. pedes,
uarum non omnium, at plerarumque,
eſtigia ſignant baſes. In centro areae emi-
ient ruinae aedificii triquetri, cooperti
uderum mole dumetisque: perinde e cae-
ſo lapide mirae magnitudinis, & mate-
riae, qualis e vicinis montibus non erui-
tur. Latera aedificii, qua ſolum premit,
ſingula habent ferme XX. pedes. Infer-
ne crypta excavata & fornicata: ante hos
annos, ſpe reperiundi theſauri, effracta
detectaque a praedii domino, quodam *De l'Eau*, Comiti a reditibus. Proxime an-
gulos aedificii viſuntur ſaxa ſolo immiſſa,
triquetro ordine, quibus ſuperſtiterint
totidem pilae, exſtructae ad firmandam
ſepem circa monumentum. Praecipuum
antiquitatis pretium in lapide quadrangu-
lari, e ruderibus effoſſo, hinc inde ve-
tuſtate exeſo detritoque: longo pedes
Rhenanos quatuor, lato tres, craſſo unum.
Is lapis antiquo artificio inciſum exhibet
vehiculum bijuge, quatuor rotis inſtru-
ctum,

quem agitat auriga, manu tenens flagellum: tribus inſidentibus togatis: duobus ſellae anticae, tertio poſticae: illa antrorſum, hac retrorſum verſa. Illorum alter ad laevam caput habet laurea redimitum; non item reliqui. Denique nummi Romanae notae ſubinde aratro eruuntur ex area: ut vetuſtiſſimum aedificium, ſive a Romanis quondam conditum, ſive alicui horum procerum a Galliarum civitatibus, quacunque religione, dicatum liquido intelligas. Horum alios inter cimelia ſervat Comes, incaſſum ſolicitatus precibus, ut eorum faceret mihi copiam: alios ex aere accepi ab accolis, cum effigiebus Domitiani, M. Antonini Commodi, Alexandri Severi, Conſtantini, aliorumque, quorum inſcriptiones fere exoletae. Primus ſiſtit caput cum diademate & literis, DOMIT. AUG. GERM. COS. XII. CENS. PP. hoc eſt, *Domitianus Auguſtus Germanicus, conſul duodecies, cenſor perpetuus:* in averſa parte figuram humanam cum haſtili & gladio ſiniſtro femori innixo, inſcriptam *** AUGUSTI SC. Reſtituo: VIRTUS *Auguſti. Senatus Conſulto.* Alteri eſt caput radiatum cum epigraphe: M. ANTONINUS COMMODUS. Et item figura haſtata, ductis in orbem verbis:

FELIX *** IMP. IIII. Cos. III. S. C. ... pple PIUS. Utrumque enim nomen, ...i & *Felicis*, nefarie ſibi impoſuiſſe Lam...idius auctor eſt cap. 8. Qui Alexandro ...vero inſcribitur, aeroſus & impurior ...t; ut ſolent qui cuſi ab eo & ſucceſſo...bus. Altera facies itidem gerit figuram ...ulieris dextra tenentis palmam, ſiniſtra ...nnixae columnae, cum inſcriptione: ...PES PUBLICA. S. C. puto editum ad Rhe...num in Belgica, quum bellum contra Germanos adornaret. In nummo Conſtantini clypeus cernitur cum titulo, VOT. X. *vota decima*. Ceterum pars magna lapidum, ut fit, alio translata: olim quidem ad Caſtellum reficiendum; nuper vero etiam ad Fanum, quod vocant, Veneris, e regione ejus in nemore ſtructum ſtatuisque exornatum: ſervato antiquo nomine aediculae Veneris, olim ibi loci poſitae; fortaſſe in gratiam Romanorum gentis Juliae, quae Æneam ſui conditorem Deamque Venerem genitricem praedicavit; teſte Suetonio in Caeſare cap. 6. Haec obiter. Rem omnem tres tabulae exhibent in aes inciſae

III. Quaeris, cujusmodi ſit aedificium? quando & cui poſitum? Et retro longiſſime ad priſca Romanorum tempora

adſur-

adſurgere, quibus ille terrarum tractus Romana fuit provincia, facile arguunt vel nummi illic effoſſi. Tumulum vero etiam honorarium ſeu Cenotaphium prima fronte praeferre, circa quod Romanorum more, a Graecis accepto, ſolemnis decurſio, atque ad aras tumulo impoſitas res ſacra facta ſit, omnis apparatus loquitur: area cum aggere: crypta qua loculi conderentur: ſtructura triangularis; cujus in vicem & aliâs quadrangularis ceſſit, in cuſpidem adſurgens, pyramis appellata; qualis hodie Romae ad Portam S. Pauli viſitur, C. Ceſtii epulonis, Jovis paraſiti. In trianguli tamen figuram factus & Druſi Germanici tumulus apud Moguntiam; ſi Serario credimus, Rer. Mogunt. lib. I. & Tenzelio, Dial. menſe Aug. A. cIↄ Iↄ cxcviii. a quo nos mutuati ſumus iconem in fronte libelli: quod deſcripta ſit fide veteris teſtis oculati, quum id ſupereſſet Druſi Cenotaphium. Atqui is honor habitus olim Romanorum viris principibus, quorum cadavera, quum alibi terrarum morerentur, Romam delata conditaque in Martio Campo: ſtructis haud raro, quo genio aeternitatis litaretur, buſtis inanibus per provincias, in quibus aut bello rem

bene geſſerant, aut magna eorum parentumve extabant in cives beneficia: decretis vero etiam divinis honoribus. Nam *ſuſcepit vita hominum conſuetudoque communis, ut beneficiis excellentes viros in coelum fama ac voluntate tollerent.* Cic. de Nat. Deor. II. 24. Et Plinius Hiſt. Nat. II. 7. *Hic eſt vetuſtiſſimus referendi bene merentibus gratiam mos, ut tales numinibus adſcribantur.* Sed cui horum, inquis, & cujus rei in memoriam congeſta moles? De Druſo, quem diximus, Germanico cogitare prohibet auctorum fides, qui exercitum tradidere honoris ejus cauſa geminum ſepulcrum compoſuiſſe: alterum in Germania, cum ara, ad Luppiam, ſignate ad caſtellum Aliſonem, ut Tacitus Annal. II. 7. Moguntiaci in Gallia alterum, cum ſtatuis & arcu τροπαιοφόρῳ, ut Dio lib. XLVIII. Τιμὰς καὶ εἰκόνων, καὶ ἀψῖδος, κενοταφίȣ τε πρὸς αὐτῷ τῷ Ῥήνῳ λαβών. *Honoresque ſtatuarum, & arcus triumphalis, & cenotaphii ad Rhenum conſecutus.* Ipſum locum, Moguntiacum, nominante Eutropio in Claudio. Ac de hoc poſteriore Druſi monumento capiendus Suetonius ineunte Claudio. *Exercitus honorarium ei tumulum excitavit: circa quem deinceps ſtato die quotannis miles decurreret,*

Galliarumque civitates publice ſupplicarent, puta, apud aram tumulo ſuperſtantem, de more. Fruſtra etiam hoc noſtrum monumentum ad Imp. Alexandrum Severum retuleris: de quo Lampridius cap. 63. *Cenotaphium in Gallia*, ubi brevi ante obitum bellum contra Germanos paraverat, *Romæ ſepulcrum ampliſſimum meruit*. Nam etſi in Gallia diem obiit, uxoremque habuit; tamen improlis deceſſit: ideoque haeſites, quos ſecum ducat vehiculo geſtatus. Sunt alii populi Romani proceres, quorum eximia in Gallias vicinamque Belgicam extabant merita: liceretque horum in numerum referre Didium Julianum, qui Spartiano teſte cap. I. & 33. Belgicam diu ſanctiſſime rexerat, dein Imperator conſalutatus uxorem & filiam Auguſtas appellari voluit. Neque minus Aureliano uxor fuit & filia; ſi credimus Vopiſco cap. 42. 50. triumphavitque Francos, Suevos, Vandalos, cap. 33. Carus denique in ſocietatem imperii duos filios adſcivit, quos Caeſares vocavit, Marcos Aurelios, Carinum & Numerianum: atque natu majorem Galliis praefecerat; eodem Vopiſco auctore, cap. 7. Julius Capitolinus de Pertinace nondum Auguſto appellato: *Claſſem Germanicam rexit*,

rexit, Rheno impoſitam. *Mater eum usque in Germaniam proſecuta eſt, ibique obiit. Cujus etiam ſepulcrum ſtare nunc dicitur.* Verum enim, praeterquam quod de horum, quos diximus, ſepulcris monumentisve in Gallia ad Rhenum poſitis eorumque locis ſilent hiſtoriae Auguſtae ſcriptores, neque ejus honoris delati his pleriſque uſſibi locorum apparent veſtigia, neque ſequior ſexus ex habitu ullius perſonae vehiculo inſidentis cognoſcitur; non pauca, nec levia ſunt, quae ad ſuperius referre aevum claris ſuadent indiciis. Quid ergo? Transacta res erat, modo ut extaret monumenti titulus. Adjectum fuiſſe olim, credere Romanorum mos jubet. Quid, ſi nunc intercidit? Eſto; unus e vetuſtatis naufragio, quaſi tabula, lapis ſuppetit. Quid tandem vero? Verbo dicam, quod ſentio. Exiſtimo aream cum aggere Romano ab exercitu clypeis, ut aſſolebant, congeſtam, in memoriam Caji & Lucii, nepotum Caeſaris Auguſti, praematura morte ereptorum: qui non longe ante obitum Romae Conſules deſignati, cum pompa virilem togam ſumſerant: deducente eos in forum avo. Atque eam ſolemnem deductionem factam eodem anno & die, quo conſulatus ipſis

 de-

decerneretur, hoc lapide repraeſentari, reſiduo ex aliquo arcuum collapſorum di-ſtractorumque. Cernas enim vehiculo ge-ſtatum Auguſtum, laurea redimitum, cum nepotibus. Hi vero, tanquam Cae-ſares, carebant diademate; ut conſtat ex Juliani hiſtoria & Zoſimo VI. 13. Adhaec impoſita & ceteris arcubus ornamenta, clypeos cum haſtis, quibus Cajum & Lu-cium equeſter ordo die virilis togae do-naverat: inſigniaque militaria, quae im-peratores apud exercitum acceperant: & titulum ac faſtigio ſtatuam, vel aureum conum. ut in Druſi monumento: quae longa aetas abſtulit. Conditum vero in media area Cenotaphium, circa quod mi-les quotannis ſtato die decurreret ludos-que celebraret in honorem defunctorum: & Galliarum civitates atque in his pro-ximi Vbii ac Treveri, ad aras cryptae impoſitas, gliſcente adulatione, de more rem divinam facerent. Prorſus quemad-modum tredecim ante annis manibus Dru-ſi Neronis, ad illius tumulum honorarium, quem ſupra diximus, profunda in valle apud Moguntiacum (Druſenloch vo-cant) inferias facere occoeperant.

CA-

CAPUT SECUNDUM.

Natales, tyrocinium, honores Caji & Lucii Caeſarum.

ARGUMENTUM.

Auguſti & Senatus populique Romani in Cajum Luciumque voluntas. II. *Deducuntur in forum & Conſules deſignantur.* III. *Solemnis pompa die virilis togae.* IV. *De vehiculo in lapidem inciſo.* V. *Circa provincias exercitusqxe dimittuntur.*

Nimirum Auguſtus, maſcula carens prole, mortuo Claudio Marcello, octaviae ſororis filio, ex M. Agrippa & Julia filia tres nepotes ſuſceperat, Cajum, Lucium & Agrippam. Hoc ob ſcordatum ac ferox ingenium, impulſu Liviae Druſillae uxoris, (impotente ambitione mulieris: *Ulyſſis ſtolati*; ut C. Caligulae audiebat) abdicato & Surrentum Campaniae oppidum relegato, ſolos adeo, ob eximiam natamque ad ſumma quaevis virtutis indolem, in deliciis habuit Cajum & Lucium (quorum ille hoc biennio major erat, Plinio majori ceterisque

auctoribus conſtanter dictus *C. Caeſar Auguſti filius*, quo diverſus noſceretur a C. Julio Caeſare, qui & *C. Caeſar* ſimpliciter: & a C. Caligula, quem *C. Caeſarem Germanici filium* & *Cajum Principem* appellitant) ut ambos tantum non in cunis adoptaret, *praepoſitis Caji ac Lucii nominibus*, ut Vellejus, acceptis, niſi fallor a Cajo Julio, quem diximus, & fratre ejus Lucio Caeſaribus: *Caeſares* de gente Julia ſalutandos & *Principes juventutis*, quo nomine tum primum inſigniebantur primi equeſtris ordinis. Tacitus Annal. I. 3. Suetonius Aug. cap. 64. Cauſam, cur eos in ſuam familiam adſciſceret, aperuit Dio LIV. nimirum quo principatum uno & altero ſucceſſore firmaret, cum a pluribus ſibi factas inſidias evaſiſſet. Hos vixdum poſita puerili praetexta, mirum quanti fecerit avus, aut mavis, pater & ſenatus populusque Romanus. Et Auguſtum quidem plus quam paterno in natu majorem, Cajum, fuiſſe animo teſtantur ejus literae ad hunc datae, amoris pleniſſimae, quas ſervavit Gellius Noct. Attic. XV. 7. *Have, mi Cai, meus ocellus jucundiſſimus; quem ſemper medius fidius deſidero, quum a me abes; ſed praecipue diebus talibus, qualis eſt hodiernus.*

nus. Oculi mei requirunt meum Cajum; quem, ubicunque hoc die fuiſti, ſpero laetum & bene valentem celebraſſe quartum & ſexageſimum natalem meum. Nam, ut vides, κλιμακτῆρα, communem (ſuppleo *aleam*) *ſeniorum omnium, tertium & ſexageſimum evaſimus. Deos autem oro, ut quantum mihi ſupereſt temporis, id ſalvis vobis traducere liceat in ſtatu reipublicae feliciſſimo, ἀνδραγαθέντων ὑμῶν καὶ διαδεχομένων ſtationem meam.* Hanc epiſtolam ſcripſit Auguſtus mox a natali ſuo, hoc eſt, a IX. Kal. Oct. exacti anni ſui climacterici: adeoque uno anno ante obitum Caji, quum is in Oriente rem gereret contra Parthos. Auguſtus enim ex probatiſſimorum Chronologorum ſententia diem ſupremum obiit A. V. IↃCCLXVII; cum ageret annum LXXVI. Demtis ergo ab aetate ejus retro annis XIII. habes annum gradarium, qui eſt tertius & ſexageſimus, innexus anno Urbis IↃCCLIV. Atqui Cajus vita conceſſit A. IↃCCLV; ut poſt dicemus. Sed illuc revertor. Ambo fratres in ampliſſima ſacerdotum collegia cooptabantur: cumque lex prohiberet, ne duo ex una gente idem ſacerdotium haberent; ille pontifex, hic augur fuit. Inſcriptiones antiquae apud Gruterum

pag. 234. repertae in lapide Romae effoſſo ante hos ducentos annos, prope aediculam Mariae Ægyptiacae, quam Caji & Lucii baſilicam eſſe ſunt qui credant; teſte Panvinio Theſ. Antiq. Rom. Graevii, tom. III. pag. 307.

C. CAESARI. AUGUSTI. F.
PONTIFICI. COS.
DESIGNATO
PRINCIPI. JUVENTUTIS.

Tum deinde:

L. CAESARI. AUGUSTI. F.
AUGURI. COS.
DESIGNATO
PRINCIPI. JUVENTUTIS.

Cuſi nummi cum utriusque imaginibus, clypeis & haſtis, quas die tyrocinii equites dederant. Inſcripti ſunt C. L. CAESARES, AUGUSTI. F. COSS. DES. PRINC. JUVENT. Et alii ſeparatim Auguſtum & Cajum praeferentes, cum figura equeſtri ac ſignis militaribus; apud Begerum Theſaur. Brandenb. tom. II. pag. 608. idemque aliorum exemplum retulit, cum effigiebus Auguſti & utriusque nepotis;

tom.

tom. III. pag. 90. Porro ſuperba aedificia Romae Auguſtus condidit, porticum baſilicamque, ut diximus, ipſorum de nomine appellanda. Sueton. Aug. cap. 29. Ludis circenſibus honor ipſis habitus, ut primi ſederent in primo gradu, ceteris ſedibus promiſcue a Senatu equitibusque & plebe occupatis; donec Claudius & Nero illam confuſionem tollerent. Hinc Martialis V. epigr. 14. ridens Nannejum quendam ex plebe:

Sedere primo ſolitus in gradu ſemper,
Tunc cum liceret occupare, Nannejus:
Bis excitatus terque tranſtulit caſtra;
Et inter ipſas paene tertius ſellas
Poſt Cajum Luciumque conſedit.

Contendente vero etiam Antipa cum Archelao de ſucceſſione in regno Herodis patris, Auguſtoque vocante amicos in conſilium, Cajo inter primos locus datus eſt. Joſephus Ant. XVII, 11. Quae quidem niſi illuc ſpectabant, ut rebus gerendis Caeſares mature adſuefierent, eaque praeſumtione gloriae quaſi ſtimulo excitarentur, *nimium honorem juventutis* Tacitus diceret Hiſt. II. 59. perſtringens vanitatem Vitellii, qui filium infantem cunctis fortunae principalis inſignibus ornaverat, *Germanicum* appellandum.

II. Et praeparamentum aliquod ſupremi, cui deſtinati erant, honorum faſtigii Auguſtus ediderat, *petens duodecimum & rurſus biennio poſt tertium decimum conſulatum, ut Cajum & Lucium filios amplisſimo praeditus magiſtratu, ſuo quemque tyrocinio deduceret in forum.* Sueton. cap. 26. Priore conſulatu, quo Cajus forum attigit, trecentis & viginti millibus plebis urbanae ſexagenos denarios viritim & quinis militum ſuorum dedit: totidemque poſteriore, quo Lucius tyrocinium poſuit; ipſo teſte Auguſto, lapide Ancyrano. Scripſerat tribus abhinc verbis, HONORIS SUI CAUSA SENATUM POPULUMQUE ROM. Cajum & Lucium (nam de his ſermo eſt) ANNUM QUINTUM ET DECIMUM AGENTES, CONSULES DESIGNASSE, UT EUM MAGISTRATUM INIRENT POST QUINQUENNIUM, hoc eſt, viceſimo aetatis ſuae anno, quo & avus conſulatum ſuſceperat. Et Cajum quidem eopſe anno conſulem factum una cum L. Æmilio Paulo, quum in Oriente praeeſſet exercitui, ex marmorum inſcriptionibus docuit Stephanus Pighius in annal. Rom. ad A. V. IↃCCLIII. Pergit vero Caeſar dictare ſculptori: EX EO DIE, tyrocinii, quo deſtinati conſules,

DE-

DEDUCTI IN FORUM INTERESSENT CONSILIIS PUBLICIS, donec maturi forent magiſtratui. DECREVISSE SENATUM; EQUITES AUTEM ROMANOS UNIVERSOS PRINCIPEM JUVENTUTIS CAJUM, HASTIS ARGENTEIS DONATUM, APPELLAVISSE: quod is aetatis praerogativa prae fratre Lucio *Princeps juventutis*, ſicut Auguſtus *Princeps ſenatus*, ſalutandus eſſet ex voluntate Auguſti, relicturi eum ſucceſſorem imperii. Idcirco in nummis quibusdam, ut ſupra dictum, & primum quidem excuſis, ſolus Cajus cernitur una cum Auguſto; non item Lucius. Poſtea vero & hunc eodem honoris titulo populus Rom: condecoravit; quamobrem uterque ſcriptoribus & in nummis *Princeps juventutis* audit. Quae ratio fugit Caſaubonum, Animadverſionibus in lapidem Ancyranum. Atque haec de filiis fieri a Senatu populoque Rom. Auguſtum ſpecie recuſantis flagrantiſſime cupiiſſe Tacitus prodidit Annal. I. 3.

III. Ceterum illam Praetextatorum juvenum in forum deductionem factam olim novimus per quam ſolenniter, a principe aliquo viro vel a parente vel a propinquo; comitantibus agnatis & univerſa familia, amicisque parentum & clien-

clientibus. Plinius Epiſt. II. 14. *At herclè ante memoriam meam (majores natu ita ſolent dicere) ne nobiliſſimis quidem adoleſcentibus locus erat, niſi aliquo conſulari producente: tanta veneratione pulcherrimum opus celebrabatur.* Et Cicero Attic. IX. 22. *Ego meo Ciceroni, quoniam Roma caremus, Arpini potiſſimum togam puram dedi.* In Capitolium enim, ut mox dicemus, deducere eum abſenti non licuit. Plinius iterum Epiſt. I. 9. *Si quem interroges, hodie quid egiſti? reſpondeat: Officio togae virilis interfui.* Convocabantur ſenatus & plebs etiam in provinciis. Idem Epiſt. X. 120. *Qui virilem togam ſumunt, ſolent totam bulen, atque etiam e plebe non exiguum numerum vocare.* Tyrones munera dabant pro ſua quisque conditione & facultatibus: Caeſares quidem ac principes juventutis congiarium plebi, militi donativum: reliqui ex equeſtri ordine binos vel ſingulos denarios multis e plebe. Plinius ibidem. Praeterea barbam ponebant. De Cajo & Lucio Apollonidas Anthol. I. 26.

Ἡδὺ παρηΐδων πρῶτον θέρος ἤματι τȣ́τῳ
Κείρεο, καὶ γενύων ἠϊθέȣς ἕλικας,
Γαΐε: σὸν δὲ πατὴρ χερὶ δέξεται εὐκτὸν
ἴȣλον,
Λεύκιος, αἰξομένȣ πȣλὺν ἐς ἠέλιον.

Δωρεῦν-

Δωρεῦνται χρυσέοισιν, ἐγὼ δ' ἱλαροῖς ἐλέ-
γοισιν:
Οὐ γὰρ δὴ πλούτου μοῦσα χερειοτέρη.

Dulce maxillarum ver die hoc
Detonde, & genarum juveniles cin-
cinnos,
Cai: tuam vero pater accipiet manu ama-
bilem lanuginem,
Luci, creſcentis ad multum tempus.
Donantur haſtis *aureis* (ſic Dio lib. LV.)
ego vero dono *jucundis elegis;*
Non enim divitiis Muſa inferior.

Nero *ludos juvenales* quotannis edidit eo die, quo barbam poſuerat; Sueton. cap. 11. Poſtremo juvenes ex foro deducebantur in Capitolium; ubi vota pro iis facta, immolatumque ab his, qui conducebant. Valerius Max. V. 4. *M. Cotta eo ipſo die, quo togam ſumpſit virilem, protinus ut e Capitolio deſcendit, Cn. Carbonem, a quo pater ejus damnatus fuerat, poſtulavit.* Quippe cauſas tum agere incipiebant, (& noſtri quidem principes juventutis, ut videtur, in Caji baſilica noviter condita, adeoque nomen ſortita; ut ſupra dictum: quo pertinet illud Lampridii de commodo cap. 2. *Quum togam ſumpſit, adhuc in praetexta puerili congiarium dedit, atque ipſe in baſilica Trajani praeſedit:*

ſedit: ceteraque addiſcebant, quae ad rempl. tractandam facerent. Hinc Oratoribus viriſque gravibus commendabantur. Tacitus aut quisquis alius, Orat. cap. 34. *Juvenis ille, qui foro & eloquentiae parabatur, imbutus jam domeſtica diſciplina, refertus honeſtis ſtudiis, deducebatur a patre, vel a propinquis, ad eum Oratorem, qui principem locum in civitate tenebat. Hunc ſectari, hunc proſequi, hujus omnibus dictionibus intereſſe, ſive in judiciis, ſive in concionibus aſſueſcebat, ita ut altercationes quoque excipere, & jurgiis intereſſe, utque ſic dixerim, pugnare in proelio diſceret.* Pro Cajo tamen & Lucio videntur & publice vota ſuſcepta quotannis die tyrocinii. Quod idem ut Neroni & Druſo Caeſaribus, filiis Germanici, populus Rom. faceret, aegerrime tulit Tiberius. Sueton. cap. 54. Illud etiam memoria repetendum eſt, quod accidiſſe puto eodem die, quo Cajus Caeſar praetextam poſuit: *In actis temporum Divi Auguſti invenitur XII. Conſulatu ejus, Lucioque Sylla collega, ad III. Idus Aprilis, C. Criſpinum Hilarum ex ingenua plebe Feſulana, cum liberis novem (in quo numero filiae duae fuerunt) nepotibus XXVII, pronepotibus XXIX, neptibus IX, praelata pompa, cum omnibus his in Capitolio*

tolio immolaſſe. Plinius Hiſt. Nat. VII. 13.

IV. Vehiculo autem uſum Auguſtum Caeſarem, quum filios ex aede Palatina in forum, atque inde in Capitolium produceret, cum ad pompam, tum propter itineris longinquitatem, quis ambigat. *Quicquid* enim *in excelſo faſtigio poſitum eſt* (ita Valerius) *humili & trita conſuetudine, quo ſit venerabilius, vacuum eſſe convenit.* Neque tamen ambos eodem die, ſed ſingulos deduxit biennio; ut ſupra dictum. Itaque ſculptoris factum arbitrio, ut bini ſiſterentur in lapide, eodem vehiculo: & compendii ergo idem actus eadem effigie oſtenderetur. Vid. Tab. III. Ipſum vehiculum, niſi fallor, eſſedorum genus eſt. Erant enim eſſeda Belgarum: ſuperne aperta; facilis adſcenſus & deſcenſus ergo: ab aurigis agitanda; qualia deſcripſit Caeſar de Bell. Gall. IV. 33. a mulabus trahenda: ſaepius ab equorum bigis. In bello falcata: Jornandes Rer. Goth. cap. 2. *Bellum gerunt bigis, curribusque falcatis, quos more vulgari eſſedas vocant.* In pace ſine falcibus eorum uſus receptus fuit etiam Romanis, ad itinera & ſpectacula triumphalia. Suetonius Calig. cap. 51. *Cum* Cajus *trans Rhenum inter anguſtias denſumque agmen*

men iter eſſedo faceret. Adde Ciceronem Attic. VI. 1. & Horatium Epiſt. II. 1. 192. Binis quidem rotis inſtructa *alias*; ſed hic quatuor: quo geſtandis *pluribus* inſeſſoribus par eſſet. Et quatuor interdum rotas carpenta habuere, quibus vecti imperatores regesque. Deinde Auguſtum Cajo filio ſiniſtrum latus tegere nemo miretur, qui ſciat ita adſueſſe Romanos, quum honorem exhiberent. Sic Claudium Caeſarem novimus A. Plautio in Capitolium concedenti & ovanti latus texiſſe; ut eſt apud Suetonium cap. 24. quod ipſum referens Eutropius VII. 13. dicit Claudium Plautio laevum inceſſiſſe. Sic Nero Tiridatem, Armeniae Regem, in theatro juxta ſe latere dextro collocavit. Sueton. cap. 13.

V. Ad eum, quem ſupra diximus, modum his ſtudiis & artibus reique militaris ſcientia, quae ad ſummam fortunam ſunt adminiſtrae, a Verrio Flacco praeceptore, atque a patre M. Agrippa (harum rerum literarumque callentiſſimo; ut quem, poſt bellicae virtutis praeclara ſpecimina, orbem terrarum ſingulari opere urbi ſpectandum propoſuiſſe teſtatur Plinius III. 2.) ipſoque avo Auguſto (qui paulo ante egregiae educationis exemplum ediderat

derat in Druſo & Tiberio, privignis; canente Horatio Carm. IV. 4. 25.

Senſere, quid mens rite, quid indoles
Nutrita fauſtis ſub penetralibus
Poſſet, quid Auguſti paternus
In pueros animus Nerones.)

Probe imbutos, Cajum & Lucium, Auguſtus in imperii provincias & ad exercitus ablegavit. Suetonius Aug. cap. 64. *Cajum & Lucium adoptavit domi, per aſſem & libram emptos a patre Agrippa, tenerosque adhuc ad curam Reipublicae admovit: & Conſules deſignatos circum provincias exercitusque dimiſit.* In proclivi eſt credere, etiam ad Rhenum adiiſſe florentiſſimas civitates Treverorum Vbiorumque: ubi tum exercitus praecipuum robur. Sane Tiberium ad *omnes exercitus* miſſum ab Auguſto, ex quo die ipſum defunctis nepotibus adoptaverat, diſertim dictavit Tacitus, Annal. I. 3. *Filius, collega imperii, conſors tribunitiæ poteſtatis adſumitur, omnesque per exercitus oſtentatur.* Sapiens Auguſti tempori ſervientis conſilium! quo horum & provinciarum ſibi ſtudium animosque conciliarent imperii candidati: ne prius obtrudi populis, quam ante cogniti commendari viderentur. Favebat enim populus Romanus &

 Gal-

Gallia Belgica exercitusque Rhenanus Caeſari Germanico; quod eventus docuit. Nec deerant, qui imperio admotum vellent Tiberium vitricum. Ad haec erat tum Treverorum in transalpinis imperii provinciis praecipua exiſtimatio & dignitas. Teſtes ſunt literae, creato Tacito imperatore, ab Senatu ad illos datae, & Vopiſco ſervatae in Floriano cap. 5. *Senatus ampliſſimus curiae Treverorum S. D. Ut eſtis liberi & ſemper fuiſtis, laetari vos credimus. Creandi principis judicium ad Senatum rediit, ſimul etiam praefecturae urbanae appellatio univerſa decreta eſt.*

CAP.

CAPUT TERTIUM.

Caji & Lucii res bello geſtae & mors. Structa per provincias monumenta honoraria, & in Gallia quidem Belgica apud Caſtellum **Iunkerraht.**

ARGUMENTUM.

Caji & Lucii res bello geſtae. II. *Vitae exitus & ſepultura.* III. *Quamobrem Vbii Treverique honori eorum inferiale officium praeſtitere.* IV. *Cenotaphium cum aris.* V. *Decurſio anniverſaria facta ab exercitu, & ludi editi.* VI. *Tumulus aggere cinctus.* VII. *& turriculis.* VIII. *De cultu mortuorum hominum ſententia Plinii.* IX.. *Area circa tumulum aliorum quoque ſepulturae patuit.* X. *De illo monumento & decurſione videtur olim nomen factum Caſtello* **Iunkerraht.** XI. *Occupatio incommodi a ſilentio ſcriptorum.*

Neque vero diuturna fuit de optimis Caeſaribus, quos manebat Capitolina palmata, Auguſti ſpes & gaudium.

 Ca-

Cajum praepoſuerat Orienti proconſulari poteſtate, ut bellum gereret contra Parthos, utque eſſet, in quo ſe virtus ejus per omnes numeros efficaciter oſtenderet: dato ei, teſte Paterculo, juventae moderatore & comite itineris M. Lollio, tribuno militum, ad quem odam & epiſtolas binas ſcripſit Horatius: & Dionyſio, ut opinor, Periegete a terrarum orbis, quam reliquit, περιηγήσει appellato: qui regiones illas locorumque patriae ſuae ſitum deſcriberet; ut eſt apud eundem Plinium lib. VI. cap 27. Cajus in magnam partem Arabiae penetravit, quam colluſtrare flagrantiſſime cupiebat. Idem VI. 27. 28. XII. 14. *Judaeam praetervehens, quod apud Hieroſolymam non ſupplicaſſet, collaudatus eſt a patre Auguſto*. Sueton. cap. 93. Sic legitur in libris editis. Sed delendam eſſe negandi particulam conſtat ex Oroſio VII. 3. & vincit M. Agrippae genitoris & Auguſti, adoptione patris, in ſacra Hieroſolymitana facilitas & munificentia, auctoribus celebrata. Lollius vero infamatus regum muneribus in toto Oriente, interdicta a Cajo amicitia, ſumpto veneno vitam finiit. Plin. IX. 35. Cujus in locum ſuffectus Quirinius. Tacit. Annal. III. 48. Quo ipſo tempore hoc memorabile

rabile accidiſſe in ſinu Arabico idem retulit Plinius II. 67. ut ſigna navium, Africam circumvectarum, ex Hiſpanienſibus naufragiis agnoſcerentur. Hac expeditione Caji recepta eſt Armenia a Parthis occupata. Deque illa capiendus Suetonius Aug. cap. 21. *Parthi quoque Armeniam vindicanti Auguſto facile ceſſerunt.* Hinc in nummo argenteo gentis Petroniae, cuſo in honorem Auguſti, ob victoriam de Armenis a Cajo obtentam, eſt ARMENIA CAPTA. Conſpiciturque in uno iſtius gentis nummo Armenus flexis genibus, in altero Parthus in genua procumbens, qui ante ſigna militaria, M. Craſſo & M. Antonio adempta, reddiderat. Juvat huc conferre, quae de Cajo in Armenia agente ſuae hiſtoriae attexuit Vellejus, Tiberio quam illi faventior, lib. II. cap 101. *Tam varie ſe ibi geſſit, ut nec laudaturum magna, nec vituperaturum mediocris materia deficiat. Cum rege juvene* Parthorum, Phraate IV. *in inſula, quam amnis Euphrates ambiebat, aequato utriusque partis numero, in colloquium coiit. Quod ſpectaculum ſtantis ex adverſo, hinc Romani, illinc Parthorum exercitus, cum duo inter ſe eminentiſſima imperiorum & hominum coirent capita, perquam clarum &*

memorabile, ſub initia ſtipendiorum meorum tribuno militum mihi viſere contigit. Deinde: *Prior Parthus apud Cajum in noſtra ripa, poſterior hic apud regem in hoſtili epulatus eſt.* Tum poſtea: *Armeniam deinde ingreſſus, prima parte introitus proſpere geſſit: mox in colloquium veniens (cui ſe temere crediderat) circa Artageram graviter a quodam, nomine Adduo, vulneratus eſt.* Sed aliter, ac ſine fraude veritatis, ut opinor, eam rem narrat Florus IV. 12. *Domnes, quem rex* Parthorum *Artaxatis praefecerat, ſimulata proditione, adortus virum* (Cajum) *intentum libello, quem ut theſaurorum rationes continentem, ipſe porrexerat, ſtricto ferro cruentat vulnere in tempore. Ceterum barbarus undique infeſto exercitu oppreſſus, gladio & pyra, in quam eum percuſſus immiſit, ſuperſtiti etiamnum Caeſari ſatisfecit.* Suſpectum vero atque ab atra loligine profectum & hoc eſt quod ſequitur in Vellejo: *Ex eo, ut corpus minus habile, ita animum minus utilem reipublicae habere coepit. Nec defuit converſatio hominum, vitia ejus aſſentatione alentium, per quae eo ductus erat, ut in ultimo ac remotiſſimo terrarum orbis augulo conſeneſcere, quam Romam regredi mallet.* His gemina habet Dio apud Zonaram, Romanorum

viris

viris illuſtribus paſſim infenſior. Quin imo apertae falſitatis reus agitur Paterculus, ejus belli hiſtoriae praefatus: *Breve ab hoc interceſſerat ſpatium, cum C. Caeſar, ante aliis provinciis ad ſedandum obitis, in Syriam miſſus*, (quod nomen olim & Armeniam complectebatur) *convento prius Tib. Nerone, cui omnem honorem, ut ſuperiori habuit.* Quod enim de honore ait Tiberio habito, id vero e diverſo Cajo factum a Tiberio, cum ille Chium inſulam trajiceret, Ponto Euxino in Armeniam navigaturus; Suetonio Tiber. cap. 12. & Caſſio apud Xiphilinum teſtibus. Utcunque eſt; Cajus res in Oriente compoſuit, & ejecto Tigrane, quem Parthi regem Armeniae conſtituerant, Ariobarzanem, origine Medum, ob inſignem corporis formam & plaeclarum animum, volentibus Armeniis praefecit. Tacit. Annal. II. 4. Antequam id bellum ſuſciperet, data ei uxor eſt Lollia Paulina, M. Lollii neptis. Plin. IX. 35. Profectus eſt autem contra Armenios anno aetatis XIX. quod Uſſerius ad A. 4003. colligit ex Ovidii ad Cajum converſo carmine, de Arte I. 191.

Auſpiciis annisque patris puer arma movebis:
Et vinces annis auſpiciisque patris.

 Tale

Tale rudimentum tanto ſub nomine debes;
Nunc juvenum princeps, deinde future ſenum.

Nempe Auguſtus annos undeviginti natum ſe privata impenſa exercitum comparaſſe ſcripſit monumento Ancyrano: Ovidii tamen vulgati libri pro *annis* habent *animis*. Et haec quidem de Cajo. Lucius miſſus in Hiſpaniam: cui jam Lepida uxor deſtinata. Tacitus Annal. III. 23. Ceterum *inglorius*; ut Florus inquit IV. 12.

II. Sed ambo vix primas adoleſcentiae metas ingreſſi, poſt paullum, nondum expleto aetatis anno ſecundo & viceſimo, in duodeviginti menſium ſpatio, ille patre ſic efflagitante, reditum in Italiam parans, Limyrae in Lycia, hic in itinere verſus Hiſpaniam Maſſiliae, non morbo, ut vellet Paterculus, ſed veneno ſublati: ut erat ſuſpicio, inſidiis Liviae Druſillae & Tiberii Auguſti privigni, ſpe transferendi in ſe imperii. Fuerat enim perpetua Tiberii vitrici in ambos aemulatio & invidia. Suetonius Aug. cap. 65. & Tiber. 13. Tacitus Annal. I. 3. III. 48. VI. 51. redundante etiam, ut fit, in familiares odio, qui cum Macrone Solem orientem ſpectarent. Nam in quodam con-

convivio, mentione Tiberii orta, extitit qui Cajo polliceretur, confeſtim ſe, ſi juberet, Rhodum navigaturum, (ubi ille tum ſpecie ſeceſſus exulem agebat) caputque ejus relaturum. Suetonius Tiber. cap. 13. Mors eorum incidit in aeram Chriſtianam ineuntem: puta in annos Urbis IↃCCLV. & IↃCCLVIII. Natus enim Cajus M. Apulejo Nepote & P. Silio Nerva, Lucius C. Furnio & C. Junio Silano Coſſ. ille A. V. IↃCCXXXIII. hic IↃCCXXXVI. ut Caſſius lib. LIV.) futura Auguſto longe acerbiſſima inter calamitates domeſticas, quarum longum catalogum contexuit Plinius VII. 45. Et Seneca prooemio libri IV. Controv *queſtum eum eſſe per codicillos de Aſinio Pollione* retulit, *quod in tam magno & recenti luctu ſuo homo ſibi cariſſimus pleno convivio coenaſſet. Cui reſcripſit Pollio, eo ſe coenaſſe, quum Aterium filium amiſiſſet. Quis vero exigeret majorem ab amico dolorem, quam a patre?* Corporum defunctorum reliquiae, velut ante factum funeri Druſi Germanici, a tribunis militum ac cujusvis civitatis decurionibus Romam delatae ſunt; clypeique & haſtae, quas ab equitibus acceperant, ut ſupra dictum, in curia ſuſpenſae; ut Xiphilinus. Extat

Romae ante templum Apoſtolorum poſt tergum Minervae Caji hoc epitaphium: Ossa C. Caesaris Augusti f. principis juventutis; apud Gruterum Inſcript. pag. 235. Et vero utrumque in Campo Martio ſepultum fuiſſe dubitare nos non ſinit Suetonius Aug. cap. 101. eodem in campo ferens crematum humatumque Auguſtum. Ibique conditi ſecutis temporibus plerique Auguſti Caeſares cum liberis & propinquis: manante inſtituto ab eodem Auguſto, qui ſibi ſuisque inibi magnificentiſſimum Mauſoleum exſtruxerat *ſexto ſuo conſulatu*, adeoque ante obitum nepotum. Sueton. ibidem. Ceterum in horum Caeſarum laudes (ut & hoc ſubnectam, quod intereſt attingere) mirum non excurriſſe Maronem eodem in loco quo Cl. Marcellum conſulem, Octaviae, Auguſti ſororis filium, mortuum in primo pubertatis curſu deflêrat, exeunte VI. Æneidos. Diceres, aut e vivis tum ereptum Poëtam, aut jam hos invulgaſſe libros.

III. Quo autem Caji & Lucii fato functorum manes celebratiores in ſeram poſteritatem redderentur, brevitatemque vitae diuturna memoria conſolaretur; praeter auguſtam ſepulturam, honori Auguſti

guſti principis, etiam extra Urbem data iis ſunt monumenta ſepulcralia. Et primum quidem apud Piſanos in Etruria; de quo peculiari Diſſertatione Henricus Noriſius: quam cum haec ſcribo, nequidquam requiro, ut inſpiciam. Tu vero, Lector, ubi ejus copia fuerit, aedificium omnemque rationem ejus cum hoc noſtro conferes. Porro Caji epitaphium Graecis literis inſcriptum Emeſae in Syria extare perhibet Bellonius Obſervat. lib. II. cap. 97. Quod quidem Senecae & Rufo Feſto videtur fraudi fuiſſe, tradentibus eum mortuum in Syria: fruſtra, niſi fallor, pro *Syria* reſcribente *Lyciam* Juſto Lipſio in Taciti Annal. I. 3. Eſt & quidam Blumbergius, Germanus, in Monumento Druſi Moguntinenſi (**vom Eichelſtein**) quod tale eſſe falſo opinatus fuit, perſcribens cis Rhenum apud Empſam, locum in finibus Naſſaviae balneis nobilem, poſitam olim eidem Cajo pyramidem. Saltem Romanae ditionis fuiſſe agrum illum Mattiacorum ſub idem tempus, quo Cajus floruit, nemo eat inficias. Provincias vero etiam pleraſque ſuper templa & aras, ludos quoque quinquennales paene oppidatim vivo Auguſto conſtituiſſe, exſerte

S.

Suetonius retulit cap. 59. Et de urbe Caeſarea ludisque eidem ab Herode conſecratis Joſephus Ant. XVI 9. Quidni & Cajo Lucioque, imperii candidatis, quos ille habuit cariſſimos, honoraria monumenta conderent dedicarentque ſeu vivis ſeu funeratis? Invaluit enim tum faſtoſus luxus, ſupra modum, vel ſubjectis imperio gentibus inviſus: raris & tenuibus quidem olim iis honoribus; at nunc effuſis & paene obſoletis; velut de proximis temporibus ante Caeſares Nepos conqueſtus eſt, in Miltiade cap. 6. ſtudioſiſſimo harum rerum ipſo Auguſto Caeſare, (Quem quidem vel equo tumulum feciſſe, carmine celebrandum Germanico Caeſari â Plinio accepimus, VIII. 42.) rato ſic demum poſteritatem ad ſe pertinere poſſe, fidemque & obſequium provinciarum metiente ex aedificiis ſibi ſuisque excitandis; cum quidem hoc honore in ipſa urbe abſtineret, propter rei invidiam. Illuſtrior prudentia Ciceronis Attic. V. 21. *Ob haec beneficia, quibus illi* (Aſiatici) *obſtupeſcunt, nullos honores mihi, niſi verborum, decerni ſino: ſtatuas, fana, τέθριππα prohibeo.* Neque minor modeſtia Attici familiaris ejus: de quo Nepos cap. 3. *Quamdiu Athenis fuit, ne qua ſibi ſtatua pone-*

poneretur, *reſtitit*. Ea tamen mente cum Auguſtus eſſet, exiſtimo reperiſſe in Ænea, ſuae gentis Juliae, ut credi voluit, per Julum filium conditore, quod imitaretur & civibus quoque exemplo foret. Sic Dionyſius Halicarn. lib. I. memoriae prodidit Æneam ita ſibi conciliaſſe hominum benevolentiam, ut *poſtquam inter mortales eſſe deſierit, multis in locis monumentis honoratus ſit, & ſepulcris honorariis: nec enim alias facile cauſam afferri poſſe, cur tot exſtent per Italiam*. Igitur & Vbiis Treverisque viſum eſt eam ab Auguſto inire gratiam, ut nepotum ejus dulciſſimos manes cultu honorifico proſequerentur. Quod quidem multo magis his ſuadebat fides ac tutela, in quam M. Agrippa, gener Auguſti & pater Caji Luciique, Vbios popularium Germanorum incurſibus vexatos acceperat, Rheno transgreſſos. Poſcebat Treverorum in Auguſtum avum pietas, quorum in regionem jam tum miſſa Romana colonia; de qua Tacitus Hiſt. IV. 62. & 72. Jubebat utrorumque communis ſtatus ac fortuna, qui inter primos Germanorum Auguſti imperio acceſſerant.

IV. Erant autem Κενοτάφια, ut Suidas, τινὰ ἐλισσόμενα, ὡς τύπος νεκρῦ, μὴ

ἔχον-

ἔχοντα νεκρὸν, *quaedam* opera *arcuata*, *in ſpeciem mortui*, *nec tamen mortuum intus habentia*. Ducto, niſi fallor, a Perſis more, qui militibus, quorum reliquiae reperiri non poterant, inane ſepulcrum ſtatuerunt, apud Xenophontem lib. VI. expeditionis Cyri. Horum cryptis arae ſuperſtabant, quibus thura dabantur, haud ſecus ac ſi veri eſſent tumuli. Virgilius Æneid. III. 302.

Ante urbem in luco falſi Simoëntis ad undam
Libabat cineri Andromache, maneſque vocabat
Hectoreum ad tumulum, viridi quem ceſpite inanem,
Et geminas, cauſam lacrymis, ſacraverat aras.

Ac de ejus generis ara accipio Tacitum Annal. II. 7. *Veterem aram Druſo ſitam* Germani *disjecerant; reſtituit aram* Germanicus, *honorique patris princeps ipſe cum legionibus decucurrit: tumulum iterare haud viſum*. Cenſeo metuiſſe invidiam Tiberii.

V. Nempe ergo circa cenotaphia illa principum & imperatorum belli, quemadmodum circa juſtos tumulos exercitus, eques pedesque, ſolemni ritu, ſiniſtro ordine

dine & verſis inſignibus in orbem ter decurrere ſolebant,

Luctificum clangente tuba;

ut Valerius Flaccus III. Argonaut. Quem ritum & ad Auguſtui tumulum uſurpatum refert Dio lib. LVI. Ludi quoque conſtituti, quibus ſua victoribus praemia decreta, & epulae datae, quotannis ſtato, puta nono ab emortuali, die iterandae; hinc *novendiale ſacrum*. Ante ſepulcra illuſtrium ſueta & dimicare gladiatorum paria; unde *ludorum* & *muneris gladiatorii* multa mentio in Auguſta Hiſtoria. Quanquam ad hoc ſepulcrum, de quo ſermo nobis, eundem ritum adhibitum exiſtimo, qui ad Druſi Germanici Cenotaphium Moguntinenſe, hoc eſt, decurſionem militum & ſacrum ad aras factum; de quibus ſupra. Druſus apud Ovidium, Conſol. ad Liviam 460.

Et ſenſi exſequias funeris ipſe mei,
Decurſusque virûm notos mihi.

Ludi tamen additi; ut mox dicemus.

Hunc morem, hos curſus atque haec certamina primus
Aſcanius, longam muris cum cingeret Albam,
Rettulit, & priſcos docuit celebrare Latinos.

Vir-

Virgilius V. Æneidos, 569. Et mox eodem de Aſcanio, cum primae nobilitatis pueris equeſtres ludos & pugnam imaginariam exhibente in honorem avi:

Dum varios tumulo referunt ſolennia ludis.

Praeiverat filio Æneas, cujus decurſionem, manibus Anchiſae patris factam, ad Romanorum ritum expreſſam fuſe deſcripſit idem Maro ineunte libro. Adde ſis Herodianum IV. 2. *Ubi vero ingens aromatum acervus aggeſtus eſt*, inquit ille, deſcribens ritum conſecrationis Auguſtorum Caeſarum, *ac locus omnis expletus; tum circa aedificium illud adequitant, univerſis equeſtris ordinis certa quadam lege ac recurſu, motuque pyrrichio numeroque, in orbem decurrentibus.* Currus item circumacti; de quibus mox ibidem. Hujusmodi decurſiones equeſtres in alios uſus habitae etiam ſub Graecis Imperatoribus prope regias in hippodromis, ad imperium uſque Conſtantini Porphyrogeniti; velut ipſe perſcripſit Graeco libro de Regiis Conſtitutionibus: quem bibliothecae quondam Budenſis Corvinianae cimelium, inter MSS. Codices Vffenbachianos recenſuit Clar. Majus fil. pag. 538.

VI. Porro ſepes facta circa ſepulcra, maxi-

maxime virorum illuſtrium, diverſa e materia. Aliquando area ſeu locus purus, circum deſcriptus, aggere munitus, ad excludendam turbam & prohibendam vim: quod e re fuit ruri & in ſolitudine. Idque monimentum ſive munimentum dictum. Non ignotum eſt illud Ulpiani l. aede ſacra ff. de contrah. empt. *Intra maceriam ſepulcrorum loca pura hortis, vel ceteris culturis ſervata, ſi nihil nominatim venditor exceperit, ad emptorem pertinent.* De Probo Imperatore, mortuo apud Sirmium, Vopiſcus cap. 21. *Ingens ei ſepulcrum, elatis aggeribus, omnes pariter milites fecerunt.* Strabo vero etiam de Mauſoleo Caeſaris Auguſti in Martio Campo ad Tiberim erecto Geogr. V. pag. 163. *In medio Campi ſpatio buſti ejus exſtat ambitus, albo perfectus lapide, ferreos in circuitu cancellos habens, & plantatas interius ferens populos.* Cujus Mauſolei circulares reliquias usque hodie conſpici Romae ad S. Rochi aedem teſtes ſunt, qui eam urbem deſcripſere. Videntur tamen & columnis cincta Romanorum illuſtrium ſepulcra, facta, ut Pauſanias Arcad. pag. 250. ad imitationem Mauſolei regis Cariae, quod *cinctum columnis XXXVI.* ſcripſit Plinius XXXVI. 5. Sic columna Antonini Pii, Romae poſita, in nummis

viſitur ſepto circumdata e cancellis, qui pilis ad angulos immiſſi. In noſtro autem buſto honorario ſepes exterior ex aggeſta humo cingit aream circiter ccc. paſſuum: niſi fallor, ludorum cauſa, quos diximus. Et circi, quibus ludi ederentur, muro claudebantur, ſuperſtructis turriculis: tum ornatus gratia, tum ut ſpectatores e populo caperent, qui ſummam tenebant caveam. Fidem faciunt circenſes in nummis Neronis & Trajani; ſuffragante Dionyſio VI. 66.

VII. Enimvero XII. turriculae, aggeri in circuitu noſtri monumenti ad firmandos cancellos exteriores impoſitae, ſi quid video, reſpondent totidem carceribus in circo, coelum deſignantibus & ſolis curſum per totidem domos. *Multa* enim, ut M. Varro, *antiqui duodenario numero finiebant*. Et vetus Poëta:

> *Circus imago poli, formam cui docta vetuſtas*
> *Condidit, & numeros limitis ætherei.*
> *Namque duodenos oſtendunt oſtia menſes,*
> *Quaeque meat currens aureus aſtra jubar.*

Circum autem novimus inſtitutum ad celebrandos ludos, qui in Deorum honorem, templorum locorumque publicorum dedicationem facti. In medio erant Deorum arae, quorum ſimulacra circumfere-

ferebantur thenſis geſtata. Itaque eum tumuli Caji Luciique Caeſarum apparatum coelum retuliſſe diceres, quo defunctorum manes inter Deos dicati crederentur, iisque proinde ad Deorum inſtar ludos anniverſarios conſtitui. Sic inter honores mortui Caeſaris Germanici decretum fuit, ut *ludos circenſes eburna ejus effigies praeiret*. Tacit. Annal. II. 83. Hinc arae cumprimis principum ſepulcris additae, in quibus res ſacra fieret: divini honoris argumento, quem olim ſuperſtitio in Romulo invenit, dato ei flamine, Quirinali dicto: adulatio cum Julio Caeſare & Auguſto ejusque familia provexit: tempus & uſus in ſucceſſoribus confirmavit. Ovidius Conſolat. ad Liviam 28.

Et tumulus Druſum pro Jovis arce manet.

Nam, ſicut Horatius:

Rem gerere & captos oſtendere civibus hoſtes
Attingit ſolium Jovis.

Hinc nati conſecratis Imperatoribus dicti Divorum filii. Etenim M. Varrone interprete apud Auguſtinum de Civit. Dei III. 4. *Utile eſſe civitatibus* Romani rebantur, *ut ſe viri fortes, etiamſi falſum ſit, ex Diis genitos eſſe credant: ut eo modo animus humanus velut divinae ſtirpis fiduciam gerens, res magnas aggrediendas praeſumat audaci-*

agat vehementius, & *ob hoc impleat ipſa ſecuritate felicius.*

VIII. Congreditur vero cum illa hominum ſtultitia ipſe Plinius: armis licet haud usque quaque felicibus, lib. VII. cap. 55. *Poſt ſepulturam aliae atque aliae Manium ambages. Omnibus a ſuprema die eadem, quae ante primam: nec magis a morte ſenſus ullus aut corpori aut animo, quam ante natalem. Eadem enim vanitas in futurum etiam ſe propagat, & in mortis quoque tempora ipſa ſibi vitam mentitur: alias immortalitatem animae, alias transfigurationem; alias ſenſum inferis dando, & Manes colendo, Deumque faciendo, qui jam homo eſſe deſierit: ceu vero ullo modo ſpirandi ratio homini a ceteris animalibus diſtet, aut non diuturniora in vita multa reperiantur, quibus nemo ſimilem divinat immortalitatem. Quod autem corpus animae perſequitur materiam?* (Locus in mendo eſt. Lego: *Quod autem corpus animae per ſe? quae datur materia?*) *ubi cogitatio illi? quomodo viſus, auditus, aut quid agit? qui viſus ejus? aut quod ſine his bonum? Quae deinde ſedes, quantave multitudo tot ſeculis animarum velut umbrarum? Puerilium iſta deliramentorum, avidaeque nunquam deſinere mortalitatis commenta ſunt.* Et aliud haud abſimile febriculoſae religionis genus ri-

det

det lib. II. cap. 7. *Quamobrem major coelitum populus etiam quam hominum intelligi poteſt, cum ſinguli quoque ex ſemetipſis totidem Deos faciant, Junones Genioſque adoptando ſibi.* Quibus locis Plinii, miror Auguſtinum, libris de Civitate Dei, & Patres Eccleſiae alios, non confodiſſe Romanorum ſuperſtitionem, ceu telis domeſticis. Ac Plinium, niſi fallor, ob oculos habuit Prudentius contr. Symmachum I. 160.

Et tot templa Deûm, quot in urbe ſepulcra
Heroum numerare licet: quos fabula manes
Nobilitat, noſter populus veneratus adorat.

IX. Paene praeterieram, quod areae, noſtrum tumulum ambienti, procedente tempore videantur & aliorum primae nobilitatis Romanorum, ſtipendia ad Rhenum meritorum, illati cineres. Neque vero obſtabat manium religio, praeſertim ad cenotaphium: quod religioſum non fuiſſe veteribus habitum docent Macianus l. VI. de rer. diviſione, & Ulpianus l. V. de relig. & ſumpt. fun. Hinc nummi ex area effoſſi Auguſtorum Caeſarum, qui ſecutis temporibus floruere bellaque Germanis vel intulere vel in hos moliti ſunt: nummi, inquam, arcis urniſve ſepulcralibus additi, de more, qui tempus & annum conditi cadaveris poteſteritati oſtenderer

Neque dubitem magnam horum vim latere nunc ibidem ſub humo, ſi paulo fodiatur altius. Veluti nupero bello cum Galliarum rege, in vaſculis, quae loculis lapideis appoſita, ingens horum numerus cum aliis Romanae vetuſtatis reliquiis apud Moguntiam repertus eſt, quum foſſam & aggerem duceret, cauſa muniendae urbis, Germanorum exercitus.

X. Fallor, an Caſtello **Juncker-raht** *jam* olim nomen impoſitum eſt de monumento illo filiorum Auguſti. **Juncker** enim Germani dixere *nobilem juvenem*: nunc univerſim *nobilem*; quamvis obſolete atque ex vulgi uſu, ac fere per contemptum aut deridiculum. Ut nova vocabula barbaro ac molliore e ſolo adoptanda fuerint in *exulantis* Germanae virtutis ſolatium. **Raht** vel mavis **Rade** inferioris Germaniae incolis *idem* eſt quod **Rode** Germanis ſuperioribus: Sic apud illos locorum nomina **Randenraht**/ **Immeraht**/ **Raht vorm wald** hi efferunt **Wernigerode**/ **Oſterrode**/ **Renneród**/ itemque **Rotenburg**/ **Rodheim** & ſimplex locorum nomen **Rode**. Itaque **Rode** *notat* aliquid quod in locis fuit, olim coli coeptis in Germania, aut quomodolibet his *accidit*. Quodnam vero illud ſit, merito in quaeſtionem venit. Traductane olim vox ex lingua Celtica in Germanicam? quam

ex

ex illa & Scythica vetere conflatam eruditi omnes ſentiunt. Celtica autem Latinae affinis fuit, ſervatque etiamdum magna ex parte hoc Latii depoſitum hodierna Gallica. Atqui Latini olim *rudus* & *raudus* vel *rodus* dixere rem quamlibet rudem & imperfectam; ut Feſtus in *Rodus*, transferturque vel ad aeris maſſam vel terram aggeſtam vel lapidum fragmenta rudia. Vetus Gloſſarium ad calcem operum Cyrilli: *χῶμα*, *agger*, *rudus*, *tumulus*. Igitur **Rode** Germanis fuit locus ſaxoſus ac lapidum ruderibus obſitus: aut in quo aggeſta terra: & laxe vetus & collapſum aedificium, cujus in vicem quod cederet novum aut proxime, illi de ruinoſo loco nomen inditum. Applica haec Caſtello, & patebit appellationis ratio. Quod ſi tamen quis malit eandem vocabulo notationem ſubjicere, quam Abbatis cellenſis pagus in Helvetia civium conventibus collegiisque minoribus, in vicis aut villis, (quae comitia tributa popularia diceres) antiquiſſimo Germanico nomine **Roden** appellatis; non me habeat magnopere adverſantem. Eritque adeo **Juncker raht** quaſi *nobilium concurſus*, olim factus inferiarum ergo; ut ſupra dictum. Verum & limitaneum illic caſtellum, cui praeſidium im-

imponeretur, aliquando inter Treveros Vbiosque conditum, atque unum e quinquagenis fuiſſe Druſo ad Rhenum exſtructis, a veri non abludit ſimilitudine. Neque enim amborum potentiae ſatis confidere Romanos potuiſſe, illorum temporum loquitur hiſtoria.

XI. Ventum eſt ad metam, quam noſtrae diſſertationi praefiximus. Sed videor mihi videre reliquam concertatiunculam. Silentium objectes eorum, qui hiſtoriam Auguſtalem perſecuti, res Caji & Lucii ſcriptis attigere, Suetonii, Taciti, *Paterculi*. At quis horum eſt, dic ſodes, amabo te, qui Auguſto aram a Narbonenſi plebe dedicatam? qui Druſo Germanico ſepulcrum Ravennae datum? vetere ex lapide Lipſio detectum repertumque, in Taciti Annal. II. 7. qui aquaeductum Agrippinenſem! qui eosdem Auguſti filios Piſis, Emeſae in Syria, & in Germania apud Empſam monumentorum honorem nactos? qui cuſa in eoſdem plurimarumque rerum aliarum memoriam numismata? qui ſexcenta id genus alia, perinde haud indigna, quae ad poſteritatem transmitterentur, in literas retulit? I nunc, & vetuſtatem metire ſcriptorum ſilentio!

IN-

INDEX AUTHORUM.

A.

Aemilius pag. 90.
Agricola 5.
27.
65.
Antoninus 14.
15.
20.
Apollonidas 92.
Apulejus 71.
Aventinus 69.
Auguſtinus 71. 115.
Aurelius Victor 10.
60.

B.

Begerus 88.
Bellonius 107.
Bertius 23.
Bovillus 20.

C.

Caeſar 5.
6.
8.
57.
59.
68.
95.
Campius pag. 59.
61.
Capitolinus 47.
Caſſius 105.
Cellarius 41.
Cicero 58.
67.
81.
92.
96.
108.
Cluverius 20.
21.
29.
31.
32.
36.
Codex Florentinus 50.
Concilium Liſtinenſe 52.
Concilium Sardicenſe 42.
Cornelius Nepos 108.

D

Diffenbachius 9.
Dinaeus 14.
Dio Caſſius 4.
5.
23.
24.
28.
64.

pag. 81. 86. 93. 102. 111.
Dionyſius Halicarn. 109. 114.
Euſebius 55.
Eutropius 60. 63. 81. 96.

F.

Florus 21. 22. 24. 25. 102. 104.
Freinshemius 54.
Furſtenbergius 51. 56. 69.

G.

Gellius 86.
Graevius 21.
Gronovius 12. 26.
Gruterus pag. 57. 59. 87. 106.

H.

Herodianus pag. 112.
Horatius 96. 5.
Hortenſius 13.

I

Jornandes 95.
Joſephus 58. 89. 108.
Irenaeus 41.
Julianus 18. 34.
Julius Frontinus 9.
Juvenalis 58.

L.

Lactantius 55.
Lampridius 47. 79. 82. 93.
Lipſius 9. 26. 28. 53. 61. 107.
Livius 62. 66.
Lucianus 30. 51.

AUTHORUM.

M.

Mabillonius pag. 49.
Macianus 117.
Macrobius 71.
Majus 112.
Marcellinus 8.
Martialis 89.

N.

Nepos 108.
Noriſius 107.

O.

Oroſius 100.
Ovidius 103.
111.
115.

P.

Panvinius 88.
Paulus Diaconus 55.
Pauſanias 113.
Pichena 50.
Pighius 8.
90.
Plinius 8.
9.
14.
21.
36.
37.
39.
pag. 49.
50.
81.
95.
96.
100.
101.
103.
105.
108.
113.
116.
Prudentius 117.

R.

Rhenanus 14.
50.
Roſinus 62.
Rufinus 58.

S.

Salmaſius 57.
Savilius 12.
Seneca 105.
Serarius 80.
Servius 61.
Spartianus 58.
82.
Strabo 5.
48.
113.
Suetonius 4.
9.
17.

I 2

INDEX

pag. 25. 31. 54. 59. 62. 63. 65. 70. 79. 81. 86. 89. 90. 93. 94. 95. 96. 97. 100. 101. 103. 104. 105. 106. 108.

Suidas 109.

Sulpicius 42.

T.

Tacitus 4. 5. 6. 7. 8. 10. 11.

pag. 12. 13. 41. 15. 16. 17. 19. 20. 22. 23. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 39. 41. 42. 43. 44. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 57. 59. 61.

pag. 61.
63.
65.
66.
67.
78.
81.
86.
89.
91.
92.
94.
97.
100.
103.
104.
109.
110.
115.
120.
Tenzelius 80.
Tertullianus 41.
Trebellius Pollio. 10.

V.

pag.
Valerius Maximus 93.
Valerius Flaccus 111.
Vellejus Paterculus 64.
86.
100.
101.
Vertranius 26.
Virgilius 106.
110.
112.
Vopiſcus 82.
98.
113.
Uſſerus 103.

X.

Xenophon 110.
Xiphilinus 105.

Z.

Zoſimus 84.

INDEX

Litera P. Praefationem ſignificat. A. Aram Vbiorum: T. Tumulum Caji & Lucii.

A.

Aldroff, aquaeductus decurrens ex Eifaliae montibus in Agrippinenſem Coloniam, quando & a quo factus. A. pag. 9.
Africam Hiſpani navibus circumvecti ſunt, imperante Auguſto T. 101.
Attegia, ſeu Attegia, quae vox, & quid notet Maurorum lingua A. 57. 58.
Ancyrani marmoris locus expoſitus T. 90 91.
Ara Vbiorum. Unus & primus aequalium ſcriptis eam attigit Cornelius Tacitus A. 38. 39.
  De ſitu ejus ſententiae Campii & Lipſii P. 21. 22.
  Num intra Bonnae muros, aut prope collocata, diſputatur adverſus Campium A. 40. 41. 42. 43. 44.
  Sita fuit in dextra Rheni ripa. A. 44. 45. 46. 47.
  Apud Tuitium oppidum A. 53.
  Non Caeſari Auguſto ſed Mercurio dedicata A. 56–63.
  Deſtructa A. 41 56.
Aras num hominibus ſolum, an & Diis attribuat Tacitus A. 58. 59. 60. 61.
Arlun oppidum, unde dictum A. 59.
Arminii laus, & in Romanos conjectum probrum P. 7. 8.
  Ob avectam uxorem Segeſti ſocero infenſus, ditionem ei adimere parat A. 45. 46.
  Et filio ejus ſacerdotium A. 46.
Aſciburgium, de Martis nomine Germanico appellatum A. 18.

Augu-

INDEX.

Pag.
Auguſtus Caeſar, ſtudioſus monumentorum publicorum, quae ſibi ſuiſque ponerentur T. 108.
Equo tumulum fecit T. 108.
Arae ei a Lugdunenſibus & Narbonenſibus poſitae A. 62. 66.
Num & ab Vbiis A. 61. 62. 66. 72.

B.

Bonna; caſtra legionis Romanae A. 14. 15.
Num Arae Vbiorum domicilium A. 38--43.

C.

Caeſar (C. Julius) in Commentariis praeterit, quae ſpectare ad ſuam ignominiam videbantur A. 63. 64.
Cajus & Lucius, Auguſti nepotes, ab hoc adoptati, Caeſares appellandi & Principes Juventutis T. 86.
Clari ſacerdotio T. 87.
Nummi cuſi cum eorum imaginibus & alii honores habiti T. 88. 89. 91.
Deducti a patre in forum conſules deſignantur T. 90. 91.
Praeſident in baſilica ipſorum de nomine appellata T. 93. 94.
Vota pro iis ſuſcepta T. 93. 94.
Vehiculo inſidentes una cum Auguſto, in forum producuntur T. 95.
Circa provincias & exercitus dimittuntur etiam ad Rhenum T. 97.
Cajus in Oriente, Lucius in Hiſpania exercitibus impoſiti T. 100. 104.
Caji res bello geſtae T. 100 - 104.
Utriusque vitae exitus & ſepulturae T. 104-106.

pag.
Monumenta ſepulcralia his poſuere Piſani & Mattiaci T. 107. 108.
Nec non Ubii & Treveri apud caſtellum Junckerraht T. 109.
quod deſcribitur T. 118. 119.
Divini ipſis honores habiti T. 115.
Caſaubonus notatus T. 91.
Cenotaphium quid T. 109. 110.
Area ejus aliorum quoque ſepulturae patuit 110. 117.
Circus coelum retulit T. 114. 115.
Claudia ſacrata, Ubia mulier, ſacerdos putatur Claudii Caeſaris in Colonia Agrippinenſium A. 70. 71.
Cluverius notatus A. 20. 29. 31. 32.
Colonia Agrippinenſium, num recte dicatur Agrippina A. 10.
Antequam deduceretur, oppidum inibi loci fuit conditum, Ubiorum dictum A. 10. 11. 12.
Hiemandi cauſa legiones eo non miſſae, & quare 16.
Corbulo foſſam duxit, non ab urbe Leida ad Moſae oſtium; ſed Rhenum inter & Geldriam A. 26–32.

D.

Decurſio militum circa tumulos virorum principum T. 111. 112.
Deutz oppidum, de vernaculo Mercurii nomine appellatum A. 55.
Dionis Caſſii error, ex Tacito demonſtratus A. 28–32.
Dionyſius Periegetes, cum Cajo profectus in Orientem, ut locorum ſitum deſcriberet T. 100.
Dru-

INDEX.

pag.
Druſus Germanicus cenotaphium habuit apud Moguntiam T. 80. 81.

F.

Flaccus (Verrius) praeceptor Caji & Lucii T. 96.
Flori locus a mendo vindicatus A. 21--25.

G.

Gannare, Hetruſcum verbum, unde natum A. 70.
Gelduba A. 15. 19--25.
Germanias, numero multitudinis, quo ſenſu dixit Tacitus A. 65. 66.
Germanorum bellica virtus P. 5. 10.
Sacerdotes habuere A. 68. 69. 71.
Num e Druidarum diſciplina A. 68. 69. 71.
Graevius notatus A. 21.
Gronovius notatus A. 12. 26.

I.

Incerta Oceani quae Tacito A. 25.
Juhonum nomen mendoſum apud Tacitum rectius Vihones dicti A. 49. 50.
Junckerraht Caſtellum T. 76.
Unde nomen ſortitum T. 118. 119.
Jungere pontibus loca, quo ſenſu auctoribus uſitatum verbum A. 23. 24.

L.

Leccam, an Civilis ex Rheno in Vahalim effudit A. 32--37.
Legiones Romanae Rhenum juxta A. 15. 16.

INDEX.

pag.
Lipſius notatus A. 26. 28.
Sententia ejus de Ara Vbiorum Caeſari Auguſto conſecranda eliditur A. 56--67.
Livii de rebus Romanorum quaedam deperdita & quibus de cauſis P. 2.---18.
Ludi apud ſepulcra T. 111. 112.

M.

Marcodurum unde dictum A. 7.
Mars, quo nomine Syris & Germanis appellatus A. 59. 60. 61.
Templum Bonnae habuit, cujus renovati inſcriptio exponitur A. 59. 60. 61.
Cur dictus militaris A. 61.
Mattiacorum ager venis argenti nobilis A. 48. 49.
Mercurius quomodo Germanis appellatus A. 55. 56.
Ab Vbiis religioſe cultus A. 56. 57.

N.

Nummi reperti apud Caſtellum Junckerraht T. 76. 78. 79. 117. 118.

P.

Plinii majoris xx. libri de bellis Germaniae interiere, & quam ob rem P. 2--18.
Ridet manium cultum & Geniorum T. 116. 117.

R.

Rheni duos alveos Tacitus retulit A. 35. 36.
Plinius tres A. 36.
Rhe-

INDEX.

pag.

Rhenus in Germaniam ruens A. 32--36.
Claudius Civilis effudit in Vahalim A. 33--37.
Rode, quid vernacule T. 118. 119.
Romanorum artes in ſubigenda Germania P. 9. 10. A. 72.
Quamdiu eam tenuere A. 65. 66.
Ryckius notatus A. 29.

S.

Segimundus Vbiorum Sacerdos A. 40. 63.
E Druidarum Schola A. 71.
Profugus ad Germanos A. 45.
Exutus Sacerdotio A. 46.
Saluſtii multa periere, & quam ob rem? P. 13. 14.
Sepulcra aggeribus cincta T. 112--114.
& Turriculis T. 114.
Servius notatus A. 61.
Siegen, Segodunum A. 23.
Silentium Scriptorum fidem antiquitati non derogat, & quatenus T. 106.

T.

Taciti loci illuſtrati A. 19. 25. 26. 27. 43. 44.
Emendatus A. 35--37.
Reſtitutus A. 49. 50.
Deſideratur in eo χωρογραφίας ἀκρίβεια. A. 12.
Ejus de rebus Germanorum quaedam deperdita & quibus de cauſis P. 2--18.
Togam virilem quum ſumerent nobilium Romanorum filii, ſolemnis pompa T. 92.
Tolpiacum T. 13. 14.
Treverorum exiſtimatio & dignitas apud Romanos T. 98.

INDEX.

V.

pag.
Variana clades, quo anno Urbis accidit A. 65.
Vbii populus Germaniae A. 4. 5.
Olim dextram inferioris Rheni ripam coluere: poſt transgreſſi amnem ducibus M. Agrippa & Tiberio A. 4. 5. 7.
Eorum fines, potentia, & agri fertilitas A. 6. 7. 8.
Germanis invifi A. 6. 8.
Agrippinenſes appellati A. 6. 8.
Sacerdotes eorum, an Druidae A. 68 69. 71.
Cajum & Lucium Auguſti filios monumento ſepulcrali honorant T. 109.
Quando Chriſtiana ſacra ſuſcepere A. 42.
Vehiculum lapidi inciſum deſcribitur T. 77. 78.
Vellejus Paterculus Tiberio favet, infenſus Cajo T. 103.
Vetera caſtra A. 12. 15. 16. 19. 23.
Vetus idem quod nuperum Tacito A. 47.

FINIS.

Beregt aan de Boekbinder.

Het Koper, met Tab. I. beteekent, word voor het Titel blad van het tweede boek. Tab. II. bladzyde 76. En Tab. III. p. 95. des zelven boeks gebonden.

Avertiſſement au Relieur du livre.

La figure, marquée de Tab. I. mettez devant le titre de la ſeconde partie; & ainſi Tab. II. inſerez pag. 76. Tab. III. pag. 95. du même livre.

CATALOGUS
quorundam librorum impenſis
HERMANNI BESSELING,
recens impreſſorum.

Ariſtaeneti Epiſtolæ Graecae cum verſione latina. Curante J. C. de Pauw. 8.

H. Hugo de Prima ſcribendi Origine & Univerſa Rei Literariæ Antiquitate: cui Notas, Opuſculum de Scribis, Apologiam pro Wæchtlero, Præfationem & Indices adjecit. Ch. Trotz JCtus 8. Cum Fig.

J. Verrii Baſſanenſis Examen Juris Canonici & Praxis Fori Eccleſiaſtici Proteſtantium in Cauſa Raptus & Affinibus. 8.

(G. van) der Muelen Diſſertationes Philologicæ de Die Mundi & Rerum Omnium Natali 2. Tom. 4.

—— —— Tom. 2. Separatus.

G. van der Meulen Diſſertationes de Ortu & Interitu Imperii Romani & de Sanctitate ſummi Imperii Civilis. 8. Cum Fig.

P. Weſſeling Obſervationum Variarum Libri duo. 8.

J. G. Michaëlis Obſervationes Sacræ 8.

J. Eberhardi Rau Monumenta Vetuſtatis Germanicæ, ut puta de Ara Ubiorum in C. Corn. Taciti I. Annalium Libri duo tum de Tumulo Honorario Caji & Lucii Cæſarum. 8. cum Fig.

P. Scriverii Opera Anecdota Philologica & Poëtica. 4.

G. Sellii Hiſtoria Naturalis Teredinis Marinae. Cum Fig. 4.

—— —— Vindiciæ Methodi Heineccianæ 8.